PRAXIS

THEOLOGIAE MYSTICAE

Imprimatur.

16ª Decembris 1918.

A. Bonduelle, *S. J.*

Imprimatur.

Parisiis, die 11ª Decembris 1919.

H. Odelin, *V. g.*

L'auteur et l'éditeur réservent tous droits de reproduction et de traduction.

Cet ouvrage a été déposé, conformément aux lois, en juin 1921.

PRAXIS
THEOLOGIAE MYSTICAE

Auctore P. Michaele GODINEZ,

Societatis Jesu

Opusculum selectum et latine redditum

a P. Emmanuele Ignatio de la Reguera

EJUSDEM SOCIETATIS



PARIS
P. LETHIELLEUX, LIBRAIRE-ÉDITEUR
10, RUE CASSETTE, 10

3541

PRAEFATIO

Notitia Vitae P. Michaelis Godinez, et Opusculi ejus circa Theologiam mysticam.

« Michael Wadingus (nescio quo casu cognominatus in societate Hispano cognomine Godinez) natus est in Hibernia, ex illustri Wadinga Familia, illustriorique ob constantiam in Fide Catholica, et ob Viros pietate, ac literis praeclaros, quos Ecclesiae dedit. Quos inter memoriae venerabilis est Illustrissimus, et Reverendissimus Episcopus Fremensis, qui multa pro Fide passus est, et ter exul e patria, obiit cum odore sanctitatis in Flandria, ubi et corpus ipsius servatur immune a corruptione : scripsit Anglice Tractatus varios valde utiles : et Latine alium, teneritudine ac pietate fluentem, de Catholicorum aerumnis in Hibernia, sub titulo, *Iphigenia plorans*. Ejusdem stirpis germen est celebris Annalista Minorum Observantiae Lucas Wadingus. Societati vero nostrae nomen dedere tres germani fratres memoria etiam speciali digni : Petrus Wadingus, qui floruit in Germania, et de ipso ut Scriptore habetur elogium in Bibliotheca Sotuelli ; Lucas Wadingus, qui Salmanticae ingressus Societatem, tractu temporis

ibidem, et Vallis-Oleti, et Matriti primas sacrae Theologiae Cathedras rexit; atque Michael noster.

« Noster hic Michael, patria Waterfordiensis, genitores habuit Thomam Wadingum, et Mariam Valois : natus anno 1591. Parentibus orbatus, et per biennium in Seminario Hibernico Salmanticensi Convictor, vel Alumnus, ibidem Societati se addixit 15 Aprilis 1609, et Tyrocinium posuit in Domo Probationis, et Collegio Villagarsiensi. Post exactos in eodem Tyrocinio menses undecim, obtinuit facultatem in Americam commigrandi : ubi Mexicanae Provinciae cooptatus (quo ex tempore invenitur usus cognomento Godinez), expleto Novitiatu, et emensis Studiis, Professionem 4 Votorum elicuit 26 Augusti 1626.

« Emicuit omni genere literarum, etiam humaniorum : Philosophiam, et Theologiam, tam Scholasticam, quam Positivam, cum laude praelegit Mexici, et Angelopoli. Per annos plurimos addictus difficillimis Cinaloae Missionibus (ipso teste opusculi sui lib. 3, c. 7) ministerium suum implevit zelo vere Apostolico. Revocatus inde, rexit Seminarium Sancti Hieronymi Angelopolitanum, Mexici Regale Collegium S. Ildefonsi, postea Guatemalense, aliudque S. Ildefonsi Angelopoli. Demumque, cum Praefectum ageret Studiorum in Collegio Maximo SS. Petri et Pauli Mexicano, sancte obiit 12 Decembris 1644, aetatis suae 53.

« Vir ille fuit, aeque spiritu, atque literis clarior, Deiparae colendae studiosissimus, erga sublevandos pauperes impense misericors, altissimae contemplationis, discretionis Spirituum, aliisque donis ornatus : nec aliter docere potuit, ut docuit in Opusculo suo : quo difficile pretiosiorem in parva mole thesaurum Mexicana Classis unquam in Europam asportavit. Nec minus feliciter vacavit regendis, et promovendis ad perfectionem non paucis utriusque sexus animabus. Nume-

rantur in paucis Illustrissimus et Reverendissimus D. Ildefonsus de Cuevas Davalos, prius Episcopus Oxacuensis, mox Archi-Episcopus Mexicanus : Vir extraordinariae virtutis, et singularis perfectionis fama notus in illis regionibus : putatur esse ille, de quo suppresso nomine loquitur Author lib. 9, c. 11, penultimo loco : et ad quem suam Epistolam dirigit, de qua mox. Item Vener. Serva Dei Maria a Jesu, Monialis Angelopolitana, et Instituti Franciscani de Conceptione, cujus Causa Beatificationis, et Canonizationis agitur in Sacra Rituum Congregatione : cujus et Vitam edidit idem Godinez : atque Instituti ejusdem Vener. Augustina a Sancta Theresia. Similiter et Monialis Theresiana Elisabeth ab Incarnatione, ac Petrus del Rio, pariter Angelopolitani : quorum et Vitae typis datae sunt. »

Usque hùc verba exsunt P. Emmanuelis Ignatii de la Reguera qui dolebat quod non potuerit habere pleniorem tanti viri notitiam. Post notitiam vitae auctoris, quaedam notanda sunt de opusculo ipso. Idem Pater de la Reguera scripsit haec praecipua :

« Opusculum laudatum, quod lingua vernacula Hispana confecerat Author, et jam sub debitis approbationibus Mexici praelo paraverat; nonnisi post annos fere 40 ab obitu efficienter destinatum est publicae luci sub novis approbationibus a docto Secretario doctissimi Praesulis Illustrissimi Domini Emmanuelis Fernandez de Sancta-Cruce, Episcopo Angelopolitano ; ac primis demum typis datum Hispali anno 1682, saepiusque alibi. Ut facile contingit M.SS. quae prae manibus multo tempore transferuntur, parumper vitiari, hoc evenit huic Opusculo, ut editor ipse notat : imo editiones quoque ipsae parum sunt accuratae, licet in substantia conveniunt cum eo, quod putatur autogra-

phum, vel sincerius antigraphum in Collegio Mexicano, ut mihi exinde notificatum est. Me urgente, indidem quoque habui duos alios libellos, quibus ultra novem, qui editi sunt, Opusculum constabat. Quin et simul habui M.S. in substantia idem, in modo aliter distributum, et pinguius, sub qua forma erat paratum praelo ab Authore : ut saepe accidit, quod ab uno eodemque Authore Opera sua tractu temporis aliis post alias curas, aliter et aliter digerantur. Ex quibus doceor compati laborem improbum eruentium vetera primaevae antiquitatis documenta, cum crisi legitimitatis : dum fere sub oculis novissima laborare noxis coepisse jam experior. Curavi juxta contextum corrigere, quae in Opusculo videntur esse vitiata : integros dare decrevi libellos undecim : abstinere autem volui ab altero pingiore M.S. (ex quo tamen aliqua, quae magis videbuntur elucidare jam dicta in primis curis, ad calcem uniuscujusque Libri recolligam non semel per viam appendicis, intermiscendo nonnullas notulas meas), ut morem gererem frequentatae, ut edita est, lectioni ; et quia re ipsa cum sua majori brevitate accommodatius est Opusculum jam editum rationi Textus observandae in hoc Opere. In quo cum jam procederem, auxilium cepi ad versionem a versione Latina, quae ad meas manus pervenit, et per idem temporis facta erat a Jesuita, Natione Germano, strenue laborante in Missionibus Provinciae Mexicanae (1). »

Pluribus gaudet editionibus, etiam recentioribus, textus hispanicus operis P. Godinez ; latinus vero

(1) Videas Praefationem P. Emmanuelis de la Reguera in opere : *Praxis Theologiae mysticae opus selectum Authore P. Michaele Godinez, Theologo Societatis Jesu. Hispane primum editum. Nunc vero Latine redditum, et plenis Commentariis tam speculative quam practice illustratum...* a Patre Emmanuele Ignatio de la Reguera, Theologo hispano ejusdem Societatis, Romae, 1740, 2 in-folio. Hoc opus secutus est P. Dom. Schram in suis *Institutionibus Theologiae mysticae.*

nonnisi unicâ illâ antiquâ involutâ in grandioribus voluminibus in-folio operis P. de la Reguera, quae vero rariora sunt et pretio maximo a bibliopolis venduntur.

Quapropter nobis visum est non minimae utilitatis futurum pro pluribus magistris doctrinae interioris et discipulis, praefatam laudati libri latinam editionem publicae lucis facere in suâ formâ nativa et breviori (1), et ratione minoris pretii emptitii vendibiliorem.

Dignetur beatissima Virgo Maria, sacrarium Spiritus Sancti, benedicere hanc eximii opusculi novam editionem latinam, ut fiat lectoribus omnibus, fons praeclarae sanctitatis, et dignum gloriae Dei instrumentum!

(1) Forsan ad complementum doctrinae specifice asceticae quae brevius ab auctore in Libro primo declaratur, adhiberi possint alii quidam auctores, v. g :

P. Franc. Neumayr, *Idea theologiae asceticae*. Parisiis, Retaux, 1893.

P. Tobias Lohner, *Instructio practica decima succinctam doctrinarum asceticarum summam comprehendens*. Dilingae, 1719.

P. Christ. Schorrer, *Theologia ascetica*. Graecii, 1720.

P. Joan. Bapt. Scaramelli, *Directorium asceticum*. Lovanii, 1848.

H. Watrigant, S. J.

JESU CHRISTO DOMINO NOSTRO

Opusculi Author

Siquidem splendidi Planetae Solis, et Lunae, totumque pulchrarum, et radiantium Stellarum Firmamentum, Astraque collucentia simul cum influxibus suis, procedunt, Domine Deus, a tua divina Omnipotentia : sicut et rotunditas Orbium, ipsorumque varia, spectabilis, ac dives machina, visibilis, et invisibilis, quam ex nihilo creasti solo tuo decreto; item hominem fecisti ad imaginem, et similitudinem tuam, ornando ipsum exquisitis potentiis : Quisnam (O dulcissime Jesu) ob tam singularia beneficia Fide viva, et medullitus intimo affectu, atque suspiriis amantibus ex imo cordis non te amet; et non se contrahat, humilietque ut pulvis, ad tuas canendas laudes, et ad meditandum celsitudinem tuam, et sanctissimam Passionem? Tibi debitas ago gratias pro tantis favoribus, et beneficiis, quae in me tuum Omnipotentiae brachium jugiter operatur; ac me totum dedico, Domine, servitio tuo : meam tibi reddo vitam in meorum satisfactionem peccatorum, ut ipsam recrees thymiamatibus, deliciis, et suavitatibus caelestis Paradisi : quandoquidem es adeo munificus clementiae Pater, ut instar Pelicani divini alas filiolos tuos pretioso sanguine piorum, et benignorum tuorum viscerum. Hujusmodi rerum recognitione, atque

immensorum tuorum mirabilium, consecro tibi, Domine, in holocaustum hanc Mysticam Theologiam, quae favus est mellis, et dulcedinis, cibusque spiritualis animarum, qui ut cordis theriaca salutaris pro scuto forti est ad praeliandum, et vincendum inimicum communem, et venenum ipsius arcendum : nec enim possum aliud tibi donum offerre, quam tenuem hanc oblationem : atque decens non erat, ut tam caeleste Opus, ac divinum, quod docet animas conversari cum Deo, sub alio auxilio, ac protectione prodiret. Ac siquidem Rex caelorum es, quem tenerum adhuc Infantem tres Orientis Reges adorarunt, et Redemptorem totius generis humani, et glorificatorem agnoverunt : propter hanc magnificentiam spero tua, Domine, mihi te subventurum gratia, et gloriam donaturum, ut in Sanctorum societate te collaudem in caelo. Amen.

Idem in Secundis curis

Aqua semper participat qualitatem canalis, qua fluit. Veritates, quas hic continet Liber, o Jesu bone, quamquam a te ut fonte suo scaturierunt, per me tanquam per canalem fuerunt transmissae : quapropter valde facile est, ut vitiatae sint aliqua noxia qualitate. Cursum ergo commutent, et a me ad te, qui fons es vitae, revertantur pro manum *Mariae* : ut bonitas istius aureae canalis, defaecando prorsus profluentem, munus quoque redditum faciat melius evadere. Ac siquidem agnosco, per *Mariae* manum has acquisivisse veritates, justissima res est, o bone *Jesu*, ut per easdem manus ad te, qui es fons, iterum transferantur. Quapropter tuis pedibus suppono donum, quod agnosco a tam liberabilibus primum omnium manibus me suscepisse.

AD LECTOREM

Idem Author

Theologia Mystica, cujus hic praxim docemus, multis differt a Theologia Scholastica. Haec scientia est, quae de Deo agit, in quantum est veritas cognoscibilis : Mystica de Deo, in quantum est veritas amabilis. Scholastica est perfectio intellectus : Mystica (praesupponendo intellectus perfectionem) perfectio est voluntatis. Scholastica delet ignorantias, et discursus dirigit, in ordine ad veritates divinas cognoscendas : Mystica tollit defectus, et affectus perficit, ad uniendam cum Deo animam per media supernaturalia. Scholastica est communis bonis, et malis : Mystica est propria filiorum Dei. Tandem Scholastica et Mystica, quae continent plurimum literarum, et spiritus, admodum propriae sunt SS. Athanasii, Augustini, Thomae, et Bonaventurae, qui Ecclesiae fuerunt columnae, aliorumque similium. Mihi credite, secundum legem ordinariam idiotae spirituales, nec sunt, nec erunt plene idonei Magistri spiritus : imo cum suis ignorantiis meliorem perdunt spiritum : atque adeo pluris est Magister apprime doctus, et mediocriter spiritualis in Magistrum spiritus, quam vir spiritualis, attamen illiteratus, et ignorans. Hac de causa in hoc libro Theologiam Mysticam, et praxim ipsius posuimus inhaerentem Scholasticae speculationi : ut personae literis vacuae reperiant pro sua oratione in illo Magistrum mortuum, si vivo careant Magistro. Ad haec, sedula consideratione praemissa, mihi visum est oportere, ut non roborarem res istas documentis Scripturae, et Sanctorum, licet oppido sit ipsorum ista doctrina. Id autem 1. ad vitandas prolixitates, quas secum afferunt fulcimenta concionatoria. 2. in imitationem illius eximiae doctri-

nae, quam tradidit Doctrix, et Magistra Mystica vitae spiritualis, sancta Virgo Theresia a Jesu. 3. quia qui agunt de sublimi apice perfectionis, et orationis, solent esse gens simplex, facilis, et expers literarum ; quare malui commodum me praestare istis, qui plures sunt, potius quam literatis, quibus infinita scripta sunt. Vale.

Idem in Secundis curis.

Rupertus tenet (li. 7 in Genes., c. 11) puteos, quos effodit Isaac ad imitationem Patris sui Abraham, symbolum fuisse Authorum, qui multos aquarum vivarum puteos effodiunt in materiis Mysticis, quas alii tractarunt : significans, qui effodit in re mystica, ditiores gratiae thesauros inventurum. Fateor equidem, plurimos scripsisse de Theologia Mystica, et vita spirituali : sed cum materia sit adeo profunda, satis habet fundi, ut magis in ea et magis effodiatur. Quare mea mens est, redigendi in compendium breve, quod adeo fusum est per varios Authores, et quod per annos plurimos cum silentio, et solitudine meditatus sum in libro Vitae de hac materia ; fultus pariter doctrina Sanctorum Patrum, et Scripturae Sacrae, quam per aliquot annos Discipulis explanavi. Et quoniam contentiosae non sunt, ut Scholasticae, Mysticae veritates, nec ita mere opinabiles, ut identidem sunt veritates Philosophicae, sed planae, solidae, admodumque rationabiles : eapropter abstinens a prolixo robore complurium authoritatum, satis habui lumine uti rationis humanae, sub auxilio, ac elevatione gratiae divinae. Qua inspectione similitudinibus manualibus, materialibus, et facilibus contendo exponere arcana quaedam Mysticae Theologiae : ut scilicet homo per humana migret ad divina, et per materialia melius aliquas spirituales veritates capiat; quae aliter aegre percipi possunt, aegrius explicari.

PRAXIS THEOLOGIAE MYSTICAE

LIBER PRIMUS

De Oratione et Mortificatione

Caput Primum.

Explicatio terminorum Mysticae Theologiae.

Mystica Theologia est quaedam sapientia practica, quae tractat de Deo, in quantum bono, et amabili.

Theologia Scholastica tractat de Deo, in quantum vero, et cognoscibili.

Theologia Symbolica tractat de Deo, in quantum bono, et vero, per Symbolica, et Hieroglyphica.

Oratio est actus vitalis, et supernaturalis, qui procedit ab habitu Religionis, et respicit cultum divinum.

Meditatio est discursus, qui pias quaerit veritates ad movendam voluntatem, ut amet bonum, et odio habeat malum.

Oratio affectus est agere cum Deo mediis praecipue actibus voluntatis, qui dicuntur affectus.

Oratio unionis est, quae animam evellit ex creaturis, ipsamque per amorem conjungit Creatori.

Contemplatio est actus coalescens ex Fide viva, et Charitate fervida.

Additiones sunt circunstantiae interioris et exterioris reverentiae erga Deum.

Distractio est inutilis alienatio intellectus.

Siccitas est taedium quoddam interius, quod distractiones inducit.

Desolatio est, penes sua dona Deum abscondi a nobis.

Mortificatio est quaelibet pœnalitas, quam voluntarie suscipimus, aut procuramus.

Crux est quaecumque res nobis accidat, naturae contraria.

Spiritus est interius quoddam complexum gratiae, cognitionis, et affectus; affectus autem, et propensio, prout ad rem fuerit bonam, aut malam, bonum denominat spiritum aut malum.

Inspiratio est quaedam bona cogitatio, nos ad res divinas inducens.

Vocatio est quaedam divina cogitatio, inducens nos ad statum superiorem divini servitii.

Tactus interior dicitur quaedam interior gratia praeveniens.

Radius est quaedam cogitatio divina, cito illuminans, et disparens.

Lux est quaedam intentionalis qualitas; et dum est interior, est species impressa.

Volatus spiritus est quaedam velox promptitudo, animam ad Deum conducens.

Revelatio est quaedam veritatum occultarum indebita cognitio, per viam infusionis specierum.

Visio est quaedam alia cognitio bonitatum, qua verae sint, aut falsae, per viam repraesentationis objectivae.

Raptus est quidam excessus animae in parte intellec-

tuali, cum defectu operationum externarum sensibilium.

Spasmus vel *suspensio*, est quaedam interior sensuum alienatio ex vehementi attentione interna.

Fundus animae est secretissimum sui, tam in essendo quam in operando.

Sanctitas est gratia habitualis, quae inhaeret substantiae animae.

Gratia primum accipitur pro habituali, secundum pro actuali, tertium pro quocumque dono indebito, etiam naturali.

Unio illapsus est quaedam intima coexistentia divinae substantiae, ut principii elevantis, et operantis, cum animae substantia, ut principio elevato, ad eliciendos actus contemplativos. Sunt et alii contemplationis termini qui suo in loco declarabuntur.

Actus anagogici actionem habent divinam, et passionem humanam.

Caput Secundum.

Quibus in rebus conveniant vita naturalis, et supernaturalis

Vita naturalis est anima corpus informans. Vita supernaturalis est gratia habitualis substantiam animae informans.

Ex anima ut radice, principio, et essentia emanant tres potentiae, Intellectus, Memoria, et Voluntas.

Ex gratia habituali (sicut passiones emanant ex essentia) tres virtutes Theologales, Fides, Spes, Charitas.

Anima, ultra tres praedictas potentias spirituales,

habet potentias corporeas, sensitivas, internas, et externas.

Gratia, ultra tres Theologales praedictas, habet duos virtutum ordines, Cardinalium scilicet, et Moralium.

Potentiae pluribus instruuntur auxiliis per habitus scientificos acquisitos. Gratia habitualis stipatur plurimis auxiliis gratiarum actualium, quae habitus elevant Theologales.

Naturae, si praemitur invaletudine, medicamentis subvenitur, quibus perdita salus instauratur. Gratiam comitantur sacramenta, quae sunt medicamenta expulsiva peccati, quod est mors animae reparantiaque gratiam, quae animae salus, et vita est.

Natura suis afficitur donis naturalibus, quibus nobilitantur personae, quae talia sortita sunt dona, qualia sunt pulchritudo, divitiae, nobilitas, literae et fortitudo. Gratia suas habet gratias *gratis datas*, quibus insigniuntur valde personae spirituales, tales autem gratiae sunt miracula, raptus, revelationes, aliaeque similes.

Demumque, quemadmodum, ex sensibilibus operationibus perfectis colligitur melior personae, robustiorque salus corporalis : ita etiam ex actionibus virtuosis supernaturalibus colligitur solidior animae sanctitas : sicque in vita spirituali, qui magis virtuosus, ille sanctior est; sanctitas enim ejusdem cum virtute mensurae est, et non majoris.

Caput Tertium.

Quid sit virtus, et quomodo differat a perfectione?

Nulla est vita, quae in suo genere non gaudeat ope-

ratione vitali : eaque propter, cum gratia sit vita supernaturalis animae, opus est quod virtus supernaturalis sit operatio quae illi respondet. Virtus igitur est quicumque actus vitalis, qui regulatus ratione, implet, ut tenetur, suam obligationem : quod si obligatio fuerit naturalis, virtus etiam erit naturalis ; si fuerit supernaturalis et a gratia procedens, atque merens gloriam, erit virtus supernaturalis, tam a principio unde oritur, quam a fine quem meretur. Haec operatio, si remissa fuerit, reluctanti animo, aliisque circumstantiis pravis affecta, erit virtus imperfecta : si fuerit operatio prompta, vivax, fortis, perseverans, aliisque bonis circumstantiis ornata, quae ipsam exaltant ultra communem modum, dicetur virtus perfecta.

Perfectio est duplex : alia permanens, quae consistit in gradu sublimi sanctitatis, et gratiae habitualis : atque adeo qui magis de hujus modi gratia participat, sanctior est, et perfectior.

Alia item est perfectio operans, quae consistit in modo quodam nobili, alto, et excelso exercendi virtutes, v. g. Deum ex toto corde amare, cum intentione purissima, cogitatione, verbo, et opere, perfectio est operans.

Haec talis perfectio dividitur in perfectionem personalem, et perfectionem Status. Personalis consistit in praedicto gradu sublimi gratiae habitualis, et exercitii virtutum. Perfectio Status, sive Regularis, consistit in observando regulas, et statuta, quae quisque profitetur juxta statum suum. Itaque vir non mediocriter sanctus, si ex debilitate, vel inadvertentia, deficit in regulis, quae ad peccatum non obligant, habebit perfectionem personalem, sed in perfectione regulari erit imperfectus. E converso novitius, qui exacte suas regulas observet, parvam autem, aut nullam acquisierit sanctitatem, erit perfectus in perfectione regulari, sed erit imperfectus in personali perfectione.

Ultra regulas sunt et alia media, quae dicuntur caeremoniae Ordinis, et respiciunt aeconomiam, aut cultum humanum, et modum, quo Religiosi debent se habere, tam inter se, quam cum superioribus quae quidem, si prudentem mediocritatem non transcendant, bona, et sancta sunt media : nimietas tamen, quae in excessum vergit, evadit in vitiosam, fastidiosamque imprudentiam. Hae tales caeremoniae sic exercitae impedimento sunt virtutibus internis : propterea quod anima occupatur nimis in illis affectionibus, et fictionibus, quae creant animos duplices, fictosque, a simplicitate religiosa non parum alienos. In subditis gignuntur hinc non humiles animi, sed viles : in superioribus, non etiam humilitas, sed altitudo : unde qui se ita gerit, conscius erit magis caeremoniarum, quam virtutum ; bonae sunt caeremoniae, si mediocres, si vero nimiae, in hypocrisim deveniunt.

Caput Quartum.

De tribus gradibus vitae spiritualis.

Quemadmodum ex tribus operationibus, rationali, sensitiva, et vegetativa, colliguntur tres gradus, seu perfectiones in anima, rationalis, nimirum, sensitivus, et vegetativus ; sic etiam cum virtus spiritualis vitae propria sit trium graduum, aut generum virtutum, colliguntur tres gradus vitae spiritualis, suntque vita activa, contemplativa et mixta. Incipere autem, proficere, ac perfectum esse sunt status, non spiritualis vitae, sed

personarum : et vita purgativa, illuminativa, et unitiva, vocari queunt gradus in personis hujusmodi. Virtutes, quae bonum proximis respiciunt, indicant vitam activam ; quae solum Deum respiciunt, indicant contemplativam ; quae simul Deum cum proximo respiciunt, vitam mixtam. Vita activa est laboriosa, vita contemplativa est proficua, mixta est laboriosa simul, et proficua : et sicut totus homo perfectior est, quam sola ipsius anima, solumve corpus, quia constat corpore simul, et anima : similiter vita in sua specie mixta est perfectior activa, vel contemplativa, quae partes sunt, ex quibus coalescit. Et est ratio : tum quia vita mixta plures virtutes affert, quae annectuntur statui suo; tum quia haec est vita, quam Christus Dominus Noster, Sanctissima Virgo, Apostoli, Virique Apostolici amplexi sunt.

Loquor de perfectione in specie; nam in perfectione individuali potest quaelibet ex duabus aliis evadere longe superior.

Caput Quintum.

De orationis magno momento, et quomodo dividatur.

Vidimus in quo Vita spiritualis consistat, illius gradus, ejusdem operationem, quae est virtus ; videamus nunc media, et finem ipsius. Contendit Vita spiritualis (declinando ab omni malo, et omne bonum faciendo) Deum obtinere, qui est noster ultimus finis : et cum continua quaedam negotiatio cum Deo erga nostram salutem sit Oratio, in qua repraesentantur vitia nobis, ut ea fugiamus, et virtutes, ut has amplectamur; hu-

jusmodi autem negociatio fiat petitionibus, obsecrationibus, humiliationibus, et precibus qui omnes actus in oratione exercentur ; operae pretium est Vitam spiritualem ordiri ab Oratione, quae Universitas est, ubi discitur quomodo evellenda sint vitia, fraenandae passiones, plantandae, radicandaeque virtutes.

Dividitur Oratio in Mentalem, et Vocalem : vocalis est, quae verbis exprimitur : mentalis, quae interius exercetur sola mente : cum tamen ea sit medium, non debemus ipsam reddere finem nostrarum actionum, et occupationum. Mentalis oratio est valde multiplex : ita ut quemadmodum in corporibus non reperiuntur facies similes quoad omnia, vix etiam reperiuntur duo modi orandi omnino similes : quare magna pars Magisterii spiritualis posita est in manuducendo animam per modum meditandi specialem, quem illi Deus communicat.

Haec Orationis negotiatio est similis negotiationi auri, ubi parvi nunquam stat sive lucrum, sive jactura : et quemadmodum in auro virtute omnia temporalia bona continentur, siquidem auro acquiruntur omnia : sic in Oratione bona omnia, et dona caelestia virtute continentur ; quando quidem experientia ipsa edocemur, homines Orationis esse castos, pauperes, humiles, mites, nec est virtus, aut gratia, quae non acquiratur Oratione : Unde cum ipsa in se sit unica virtus peculiaris, est aliunde quaedam Universitas, ubi facultates omnes, gratiae, et excellentiae vitae spiritualis edocentur, et addiscuntur. Felix anima, quam Deus ad plurimam, et humillimam Orationem vocavit : tales quippe homines consuevit Deus praeeligere in Viros spirituales.

Caput Sextum.

Quomodo dividitur Oratio Mentalis ? et praxis Meditationis.

Oratio Mentalis consistit in gratia, cognitione intellectus, et affectu voluntatis. Gratia nos praevenit, et excitat animam, elevatque ad Deum : cognitio, quae suo lumine animam ducit : voluntas est potentia, in cujus actu vitali, et supernaturali consistit Oratio formaliter, et ubi tanquam in subjecto residet habitus Religionis, quae illam producit : cumque sit actus immanens, ibi manet ubi producitur. Quare actus ille intellectus (ultra cognitionem Fidei) est tantum conditio, sine qua non est Oratio : formaliter autem Oratio mentalis in voluntatis actu consistit.

Dividitur Oratio mentalis in Meditationem, Ponderationem, Considerationem, Unionem, et Contemplationem. Meditatio est quidam discursus in re pia, cujus finis est voluntatem movere, ut refugiat aliquod malum, et appetat aliquod bonum. Consideratio est detentio voluntatis circa bonitatem inventam, vel circa malum cognitum, ad fugiendum illud. Ponderatio est, quando anima cum vi aliqua secreta tenetur diu aliqua veritate, quae vim infert. Oratio affectus dicitur, ubi praevalent actus voluntatis actibus intellectus.

Meditatio dividitur in speculativam, et Practicam, Speculativa est, quando quis ex. c. meditatur gravitatem peccati ; mox scire vult, quanta illius sit malitia, in quo sua ratio formalis consistat, sui effectus, causa, modus, finis, et circunstantiae; tamen ex omnibus his veritatibus, non fertur in desiderium relinquendi pec-

cata, corrigendi vitam, in ullumve aliud propositum honestum : haec non Oratio est, sed speculatio, ve studium. Meditatio practica est discursus, quo inquiruntur veritates piae pro movenda voluntate ad contemplationem, timorem, dolorem, amorem, aliosque affectus similes : v. g. meditatur quis peccati foeditatem, et considerat, quomodo pulcherrimos Angelos vertit in doemones foedissimos : timere hoc damnum, odio habere tantum mali, fugere damnum adeo grave, jam hoc est practicam habere Meditationem; maxime si sit in causa eliciendi quaedam firma proposita circa exercitium virtutum, quae pertinent ad proprium statum, est optima Meditatio practica, et tanto erit utilior, quanto magis hujusmodi proposita in praxim adducantur. Video, exempli causa, Christum Jesum columnae ligatum, et pro me agere poenitentiam : ex hac meditatione firmum elicere propositum agendi poenitentiam pro meis peccatis, est egregia practica Meditatio.

Mihi credite, hi magis in vita spirituali proficiunt, qui magis eliciunt in Oratione illius proposita, et curant eadem opere complere : hi brevi tempore in magnos abeunt Sanctos, et apprime virtuosos : nam pura, et puta oratio mentalis speculativa, nec vitia evellit, nec colit virtutes : quod ipsum in causa est, cur post tam plures annos Orationis, tam modicum perfectionis acquirimus.

Caput Septimum.

Praxis Considerationis, et Ponderationis.

Consideratio est meditatio quaedam, tractans de veritatibus inventis jam per discursum, quae veritates

movent voluntatem, ut in affectus pios erumpat. Hujusmodi Consideratio aliquando speculativa est, aliquando practica : tunc est speculativa, quando intellectus sistit in gaudio veritatis inventae, ad summumque aliqualem excitat naturalem affectum voluntatis. Exempli causa, cognosco hanc veritatem, Christum esse Deum, et Hominem : si considerat intellectus unionem hypostaticam, ut admirabilem, esse naturam humanam sine propria personalitate, cum divina substantia in Persona Verbi, et huc illud anima commovetur in hac consideratione, sine alio fructu, quam admirationis veritatum, quas considerat ; consideratio haec erit speculativa.

Quod si tamen considero, ut Deus ex amore mei Hominem se fecit, et humiliatus est in exemplum mei, et ex ista consideratione oritur in mea voluntate gratitudo pro his beneficiis, desiderium humiliandi me, ob considerationem exempli tantae humilitatis ; haec erit practica consideratio.

Ponderatio est secreta quaedam animae detentio in pia veritate, quae vim infert magnam : v. g. illud Sancti Augustini : *Quam sero te cognovi, pulchritudo tam antiqua?* In hac veritate detinetur vi quadam secreta, ex qua in voluntate resultant affectus varii pietatis, teneritudinis, amoris, et compunctionis.

Caput Octavum.

De distractionibus, et radicibus unde oriuntur.

Tria gravia occurrunt impedimenta his, qui vacant Orationi Mentali : et sunt distractio, ariditas, et desola-

tio. Distractio *est vagatio quaedam et remotio intellectus a materia quam conatur cognoscere, praeoccupata imaginatione rebus inutilibus* : et haec militat contra omnes Mentalis Orationis species, maxime contra Meditationem.

Ariditas *est tœdium quoddam interius, et animae defectio, quae discursum impedit, et affectionem ad res pias* : et quamquam haec militat contra species omnes Orationis mentalis, officit praecipue Orationi Affectivae; ita ut, etsi pro tunc cogitetur de rebus piis, voluntas maneat arida, et vix possit extorquere pium aliquem affectum.

Desolatio *est quaedam probatio, valde notanda in via spirituali, quando Deus sese abscondit cum donis suis* : de qua liber integer adveniet. Siquidem disponendo ad contemplationem, contra suavem contemplationem militat. Quare nunc de sola distractione agemus, radicibusque ipsius.

Prima radix distractionis est imaginatio, potentia magis libertina, quam libera; quae rationis jugum, et obligationem excutiendo, se conjicit in, quod sibi magis placet, objectum; maxime si conforme sit alicui humori, vel passioni praedominanti : ex. c. si passio irae praedominatur, et cietur humor cholericus, tunc distractiones erunt imaginari vindictas, contentiones, querelas, rixas, etc. Si passio praedominans fuerit gula, et vitiosa fames, distractiones erunt imaginari convivia, et cupedias, sub praetextu necessitatis. Si passio fuerit appetitus sensualis, imaginationes distractivae tunc erunt repraesentare res turpes, et abominanda objecta, quae distrahunt, et simul torquent, contristantque animam.

Secunda radix sunt communiter sensus externi, non bene custoditi, quorum operationes imaginationem in se rapiunt, et imaginatio intellectum.

Tertia sunt passiones, cum humoribus, qui ei correspondent, quae inquietant, et distrahunt valde animam, quoties applicantur suis objectis : v. c. si ambitiosus habet prae manibus praetensiones : si inhonestus facile foeminas intuetur, et facies venustas ; si non abscedit a locis, temporibus, personis, et occasionibus, quae illum inquietare possunt : hi tales semper distracti erunt, et inquieti.

Quarta radix solet esse pravum ingenium inquietum exterius, turbidum, et in negotia saecularia dispersum : hi talis ingenii sibimetipsis sunt perpetua distractio.

Quinta radix esse consuevit Magister spiritualis, in materia Orationis parum versatus, qui vult se, suamque orationem facere normam praecisam aliis ; unde discipulum reddit tentatum, et perpetuo distractum.

Sexta radix esse solet quaedam benevola probatio, qua Deus suos probat, ut magis afficiantur personae suae, quam suis bonis ; indeque illos in patientia educat, et humilitate.

Caput Nonum.

Remedia distractionis.

Si oriatur distractio a remorsibus conscientiae circa peccata gravia, vel levia ; remedium erit, ea confiteri cum proposito emendationis.

Si oriatur ex ignorantiis, vel incuria circa praeparandam materiam meditandi : doceat eos tales Magister et faciat, ut accurate praevisa ferant puncta Meditationis : faciatque, ut accurate observent circunstantias reverentiae interioris, et exterioris quae Additiones vocantur.

Si oriatur ex passionibus, curent eas mortificare, objecta removendo, quae illas commovent. Si occurrerint homines adultiores, intellectus crassi, et discursus exigui; applicent illos Orationi vocali Rosarii, et aliarum devotionum, pro tempore quo alii vacant Orationi Mentali; quia praestat aliqua proficere, quam nulla oratione. Si discipuli fuerint vitae mistae, qui nimio conatu incumbunt studio, lectioni, actioni cum proximis; remedium non est relinquere occupationes, sed nimietatem in illis : si enim tales occupationes exerceantur cum moderatione, quae oportet, erunt dispositiones ad habendam melius orationem.

Demum qui Orationi incumbit, incumbat Mortificationi, fraenando suos sensus; adjungat competentes corporis mortificationes, in jejuniis, ciliciis, et verberationibus : quia Oratio est quaedam pulcherrima, et verecunda virgo, quae si per publicum populi procedat absque debita personae suae custodia, vel cito aberrabit, vel sese abscondet; sic nempe Oratio sine mortificatione, operibusque penalibus, aegre conservatur : nec etiam potest illa residere in animae domicilio, nisi hoc jugiter scopa poenitentiae mundetur, et ornetur mortificatione.

Caput Decimum.

De scrupulis, radicibus ipsorum, et remediis.

Scrupulus *est suspicio levis cum parvo fundamento de eo, quod aliqua res sit peccatum* : cujus effectus esse solent inquietudo, melancholia, dubia, timores et aliae perturbationes animae, quae mentalem impediunt Ora-

tionem. Scrupuli sunt erga res vitae praeteritae, vel erga res vitae praesentis, pariter et praeteritae.

Res vitae praeteritae sunt : si rite quis confessus est : si debitum examen praemisit : si aliquam circunstantiam aggravantem omisit : praeteritas confessiones fuisse nullas, sive non validas : non habuisse contritionem, nec emendationis propositum tempore absolutionis : meminisse in genere confessum fuisse peccatum, sed immemorem esse quando, vel cum quo : atque omnia haec magna cum ariditate, ac confusione interna.

Scrupuli vitae praesentis consistunt praecipue in quadam secreta persuasione de eo, quod hujusmodi scrupulosi sint in peccato mortali, vel operantur cum conscientia peccati mortalis : ut si crucem ex paleis fortuito factam conculcant : si ad ictum casualem oculi aliquod objectum vident, quod ipsos movet ad malum : si consentiunt, vel morosa delectatione tenentur in aliqua turpi cogitatione : si occasionem praebuerunt alicujus damni temporalis, vel spiritualis in proximo : si suae actiones indifferentes peccata sunt : si sunt excommunicati, vel non baptizati, vel non sunt in statu gratiae : quae omnia, vel ipsarum aliquae, repraesentantur ipsis ita vivide, ut assentiantur illis contra se, quin possint judicare in favorem suum, et ad suam consolationem.

Scrupuli misti ex vita praesenti, et praeterita, similes sunt filo bombycino inextricabili omni ex capite : scrupulosique hujusmodi sunt habitualiter persuasi, quod non sint in statu gratiae ; unde trahunt vitam tristem, et melancholicam, semper se sub conditione accusant, et nunquam se tutos censent.

Primum remedium est, non consentire hujusmodi, ut Confessiones generales faciant ; magis enim perturbant. Secundum, quod sint contenti cum Confessionibus particularibus, et non crebro nimis, nec iterando

eadem : nihil vero istorum facient, nisi coacti. Tertium, quod nitantur obedire Confessori, si possint. Quartum, quando Confessori clare constiterit tales non esse in statu peccati mortalis ; obliget illos, ut aliquoties inabsoluti suscipiant Sacram Eucharistiam, quod S. S. Sacramentum virtutem specialem habet, ad pacandas animas tribulatas. Quintum, quando Confessori constat de puritate animae, quae non labitur in mortalia, bene potest praescribere inter venialia, quae committit, quae sint, de quibus se oporteat accusare ; illa enim pro absolutione sufficiunt, et ut gratia Sacramentali donentur : modus enim, quem habent, est Labyrinthus inextricabilis.

Hi pauperculi modo caeci sunt, et non capiunt ; modo sunt imaginationis laesae, resque ordine sumunt inverso. His praecipiat Confessor, nunc leniter, nunc acriter, ut taceant, non repetant, et obediant ; bene enim possunt scienter scrupulos in Confessione tacere, cum non sint peccata clara, nec dubia ; dubia quippe in scrupulosis sunt scrupuli, et non materia Confessionis ; et quod in alio dubium est, et exponendum in Confessione, in scrupuloso scrupulus est, et non materia necessaria Confessionis. Solus Deus potest talibus remedium afferre, quos inter alii sunt scrupulosi, quando Novitii, vel incipientes in perfectione, vel per aliquot annos, et transfacto illo tractu temporis, manent in bona mediocritate : alii sunt scrupulosi per totam vitam, sed mortis tempore tranquillantur. Hi omnes sunt boni, et ad gloriam praedestinati : quia quemadmodum soli praedestinati Purgatorium intrant vitae futurae ; ita etiam ordinarie Deus non dat reprobis Purgatorium scrupulorum in hac vita. Alii scrupulosi, qui devorant peccata mortalia, et scrupulos cient in naeniis ; amentes dicendi, potius quam scrupulosi.

Caput Undecimum.

De devotione sensibili, et intellectuali.

Quemadmodum distractiones, et scrupuli sunt impedimenta principalia, quae a nobis auferunt, vel impediunt orationem mentalem ; ita devotio sensibilis, et intellectualis, praeclarae sunt, et singularissimae gratiae, quae nos juvant ad bene habendam orationem mentalem.

Devotio in communi *est quaedam actualis gratia, quae facilitat exercitium omnium virtutum.* Dividitur in devotionem sensibilem affectivam, et intellectualem : et utraque est communiter effectus charitatis. Devotio sensibilis est quidam affectus suavis, mistus lacrymis, et teneritudine cordis : si crescit, vocatur fervor : si ascendit ad nimietatem, vertitur in furorem spiritus, sive in fervorem imprudentem.

Gratia haec ut plurimum obtinetur omnino gratis, absque ulla praevia dispositione, et tunc non est durabilis : aliquoties etiam obtinetur poenitentia, fovetur mortificatione, augetur oratione ; minuitur peccatis, et imperfectionibus, deliciis tepescit, occupationibus externis suffocatur ; nasciturque cum poenitentia, cum humilitate, et gratitudine conservatur, si forte incipiens, et devotus, potest esse affatim humilis : quia nec honor vanus, nec divitiae, nec alia temporalia bona sic hominem inflant, et elevant, sicut bona gratiae.

Devotio intellectualis est quaedam lux calefaciens, quae nascitur ex charitate, subjiciturque in intellectu fundata in Fide, ratione, et experientia rerum supernaturalium ; quae nobis aperit quasdam instructiones, et veritates solidas, quae fortiter suaviter nos inclinant

ad nostras implendas obligationes : et quemadmodum pondera pendentia post se ferunt horologii rotas ; ita hae veritates, et instructiones post se animam ferunt, ut virtuose vivat, sine cura de eo, quod tristis sit, arida, et insipida. Opera virtuosa, quae fundantur in devotione sensibili, cito deficiunt : quia fundantur in gratia quadam actuali, transeunte potius, quam permanente : at virtutes, quae fundantur in devotione intellectuali, solent esse solidae, durabilesque, utpote fundatae in gratia ista peculiariter permanente.

Devotus sensibilis est velut histrio, qui, alienis mutuatis vestibus, ad breve tempus Regis personam agit bene ; domino autem, quod suum est, repetente, manet histrio miser, ut erat. Ita incipientes devoti aliqui gerunt Seraphini personam in amore, Martyris in pœnitentiis, ac desideriis patiendi, Virginum in puritate, Anachoretarum in secessu, solitudine, et silentio ; deficiente vero sensibili devotione, omnes hae divitiae deficiunt, ac redeunt ad suam pristinam egestatem.

Caput Duodecimum.

Praxis, et divisio Mortificationis.

Mortificatio est quodlibet opus poenale, quod libere facimus, vel patimur. Dividitur in opera poenalia corporalia, in coercitionem passionum, et sensuum, et in abnegationem propriarum volitionum spiritualium.

Quando quis convertitur a vita depravata, et vult inservire Deo, non solum virtute ordinaria, sed etiam cum extraordinaria perfectione, incipiens a Confessione generali, vel particulari, ut sibi magis fuerit expediens,

debet in poenitentiis corporalibus exerceri, quantum possit, scilicet in ciliciis, flagellationibus, jejuniis, secessibus, et vigiliis; quae tamen austeritates salutem non tollant, nec obstent operibus majoris obligationis, et perfectionis; et in his operibus non debet sua regi prudentia, sed aliena sui Patris spiritualis.

Si fuerit homo virtutis ordinariae, qui non fuerit vitae, vitiis corruptae, in operibus poenalibus exercendo se, quantum ex aequo possit (jussu sui Patris spiritualis) sustinere : incumbat sedulo mortificationi passionum (quae sunt desideria subsilientia interdum cum speciali vehementia in natura sensitiva), et prudenti sensuum coercitioni : quia in hujusmodi tam erit in commodum per excessum aberrare quam per defectum.

Si fuerint Novitii, pueri, vel juvenes vix tales, qui vitiosi non fuerunt, et ad praesens defectu aetatis, qua passiones maturescunt, et defectu objectorum, quibus excitantur, et luxuriantur illae, non se passionibus concussos sentiunt, maxime si polleant indole mitiori; non permittantur excedere in poenitentiis corporalibus, ne salutem amittant, et ne praetextu convalescendi deliciosi, et otio addicti fiant : sed debent Magistri Ascetici mortificare illos levibus reprehensionibus, etiam sine culpa, veste vili, et pauperiori, auferendo de superfluo, vel etiam quoadantenus de necessario, in cibo, potu, somno, et requie.

Primo quia istiusmodi mortificationes sunt in se ipsis actus virtutis, atque adeo exerceri debent. Secundo quia illos maxime ad sensibilem devotionem disponunt, quae est vehiculum incipientium in via spirituali. Tertio faciliorem iisdem reddunt viam mortificandi passiones. Quarto mitigant in ipsis non parum tentationes contra puritatem, et in perfectiones ordinarias : et est turpis error educare incipientem in oratione

mentali, non educando illum pari passu in aliqua specie mortificationis; quia aegre custoditur gemma Orationis, si non munitur hoc repagulo mortificationis.

Caput Decimum Tertium.

Praxis mortificationis passionum.

Passiones sunt speciales inclinationes in appetitu sensitivo erga diversa objecta : quae passiones, cum sint vitales animae operationes, habent in corpore humores sibi correspondentes, v.g. est in anima passio irae, cui respondet cholerae humor in corpore : passioni tristitiae respondet melancholia : pigritiae respondet flegma : sensualitati humidius, et calidius sanguinis. Quando hae passiones ratione regulatae operantur cum mediocritate, bonae sunt ; et tunc aliquem bonum finem moralem respiciunt, a quo actus humani specificantur, eruntque virtutes morales : quando vero, excusso rationis jugo, transgrediuntur aliquam debitam obligationem, abeunt in vitia, interdumque in peccata.

Error est existimare, posse sola vi rationis vinci aliquam inveteratam passionem, nisi adjuvetur a gratia. Frequenter una passio vincitur ab alia : magnus timor consuevit vincere vehementem amorem carnalem : superbia operitur timore contemptus. At in Servis Dei virtus mortificationis cum divina gratia sufficit ad vincendam, quantumvis maximam, quamcumque passionem, ex.c. si quis, quando illum Superior reprehendit. erat solitus non sine acore respondere ; tacere tunc, erit optima mortificatio. Quando quis vehementi sollici-

tatur appetitu edendi, et bibendi, etc., tunc abstinere se ab edendo, aut bibendo in locis, et temporibus prohibitis, bona erit mortificatio. Quando desiderat habere in usu, et cella sua plurima curiosa, et superflua, et libros magis curiositati aptos, quam utilitati ; privari propter Deum his omnibus, est bona mortificatio. Contentum esse cum cella paupere, ac supellectili paupere, fraenare iram, suffocare choleram, parcere verbo conceptae argutiae, et forte pungentis, non ostentare se adeo habilem in disputationibus publicis ; bonae sunt, et practicae mortificationes. Humiliare se, quando superbiae motus praesentit, vincere ingenii proprii nimietates, resecare paradoxa in suo vivendi modo, mittere quicquid curiosum, et pretiosum est, privari meliori, vel sapidiori obsonii ferculo, vel particula, placitam sibi esse vestem laceram, et refectam ; id omne bona est mortificatio, pulchra, et secura dispositio pro habenda multum devota Oratione.

Quam longe aberrant Patres spirituales, qui orare docent, quin enixe inducant in hujusmodi mortificationem ! Nam, quemadmodum absque debitis dispositionibus in rerum natura nulla inducitur forma, nec conservatur : cum mortificatio sit ad Orationem dispositio moralis ; sicut haec mortificatio fuerit, multa vel parva, solet esse multa vel parva Oratio, tepida vel devota.

Caput Decimum Quartum.

De abnegatione propriae voluntatis, et proprii judicii.

Mortificationis virtus, cum divina gratia, est remedium, quod Deus nobis constituit ad trahendas in

decorum medium nimietates appetitus sensitivi, ut nimietatem cholerae, superfluitatem edendi, etc. Sed quia in superiori parte hominis, quae est judicium proprium, et voluntas propria, passiones etiam sunt spirituales, judicia nimirum erronea circa veritatem apparentem, et distortae complacentiae, volitionesque circa bonum delectabile, in praejudicium boni honesti, et rationabilis ; constituit nobis pariter Deus remedium in abnegatione, cum divina gratia, ut integre nostrum judicium proprium, et nostram propriam voluntatem Deo sacrificemus, nam quemadmodum intellectus in manu nostra, et voluntas propria, sunt principium omnium nostrorum pravorum effectuum ; ita quando per obedientiam, et abnegationem illas potentias committimus in manus Dei, sunt cum divina gratia principium omnium bonorum effectuum, affectuumque, quos habemus.

Philosophi antiqui, qui non agnovere Deum, ut finem ultimum nostrum, in quo nostra beatitudo consistit, aiebant, summam felicitatem moralem naturalem consistere in eo, quod quis faceret in omnibus rebus suam propriam voluntatem bonam, faciente se, ac reliquis, quod ille praecipiebat, et volebat ; simulque in eo consistere, quod sequatur ille suum judicium verum ; atque adeo statuebant sic, et non aliter, devenire hominem in hoc, quod sit beatus, ad minus ut esse potest in terra.

Virtus abnegationis sese offert, litando, et sacrificando hanc propriam voluntatem, et judicium proprium Deo, et summo bono : cumque duae istae potentiae sint nobiliores, et pretiosiores gemmae, quas homo possidet ; perspicuum fit, quod abnegatio sit virtus nobilissima, cujus est munus, tollere voluntatem propriam ab omnibus operibus bonis, et implere illa ex divina voluntate : ac sicut quo magis fuerit libito ad-

dicta (non dico libera) operatio aliqua bona, eo est minus bona ; ita quo magis habuerit abnegationis propriae voluntatis, eo habebit plus voluntatis divinae, magisque bona evadet operatio virtuosa, quae fit.

Virtus plena propriae voluntatis est sicut aurum gleba oppletum, et non purgatum ; operationes autem virtuosae sine voluntate propria sunt, ut aurum purum, defaecatumque.

Causa cur aliqui, per annos viginti, trigintaque virtutibus dantes operam quotidie, non sunt egregie Sancti, est, quia in omnibus sunt nimium propriae voluntati addicti, faciendo in jejuniis, flagellationibus, ciliciis, et orationibus suam propriam voluntatem, proindeque reservant sibi optimum, quod habent, scilicet propriam voluntatem, propriumque judicium ; Deo autem quod est vilius relinquunt, nempe corticem operationis, et exteriores tantum actiones : hinc oritur, illos laborare multum, et lucrari valde modicum sanctitatis. Quod patet, siquidem post annos triginta Orationis mentalis, quo seniores sunt, eo inveniuntur magis addicti propriae voluntati, et pleni respectibus humanis, et commodis propriis. Sunt ut agricolae, qui habent horrea plena frumento non purgato, ubi nimium paleae, parumque frumenti : qui vero exercentur cum abnegatione propriae voluntatis, ferunturque intentione pura, paucisque annis ad egregiam conscendunt sanctitatem. Horum sanctitas est sicut thesaurus ex monetis auri, ubi adhuc in parva quantitate magna reperitur divitiarum qualitas, et sanctitatis : pauci sunt hi tales, sed apprime Sancti.

Caput Decimum Quintum.

Praxis abnegationis judicii proprii, et propriae voluntatis.

Ratio est animae sol, fons totius lucis intellectualis, et est, ut vir, et herus internae domus hominis. Voluntas in quantum appetitus rationalis, est potentiarum Regina, et domus interioris hera: est voluntas ut Luna, quae omnem suam lucem participiat ab intellectu tanquam Sole; unde prout haec lux bona fuerit, vel mala, voluntas solet bene, maleve operari. Primogenitus voluntatis, et intellectus, est judicium proprium, et filia primogenita est voluntas propria: si filius hic, aut filia declinant in aliquod extremum, vel proprio commodo nimis addicuntur, aut mendacio, evadunt filii nequam, et vocantur passiones, quae comites sibi habent alias passiones animae spirituales, et saepe saepius peccata etiam sunt, in quantum transgrediuntur aliquam legem, divinam vel humanam, per intentionem, aut executionem; tales sunt invidia interior, superbia secreta, etc. Cumque in humanis magis scateat vitiis ille saecularis, qui est magis libito suo indulgens; siquidem gliscente propria voluntate, marcescit ratio, et libere passiones proruunt, nulla ratione habita, an contra legem Dei sint, sed si ad gustum aptantur; inde abominabiles fiunt peccatores, Deo contrarii, et omnibus hominibus rectae rationis.

Ut ergo quis in hanc iniquitatum abyssum praeceps non eat, interest illi multum hanc propriam voluntatem, propriumque judicium tradere omnino, sacrificareque, mediante abnegationis virtute, in manus Dei; ut ibi constituta principium sint, cum divina gratia,

omnis sanctitatis, quae in nobis dominantia possunt principium esse omnis iniquitatis.

Abnegationis fundamentum est obedientia, in omnibus judicium nostrum, et voluntatem nostram subjiciendo Dei jussis, interprete voce Superioris, tam intentione, quam executione : obedientia nimirum caeca judicando, quicquid jubetur nobis (modo aperte malum non sit) esse bonum, et illud fideliter executioni mandando. Est autem hoc offerre fructus Deo, nempe actus bonos; attamen adhuc retento arboris trunco cum radice, nimirum intellectu, et voluntate.

Gradus secundus (post abnegationem obedientiae) est nostram abnegare propriam voluntatem in operibus bonis devotionis, et supererogationis, ut in ciliciis, jejuniis, orationibus longis, nolendo hujusmodi opera facere sine praevia inspectione, ac nutu illius, qui vice Dei nostram regit animam : ex.g. si velim ego ex devotione per singulas hebdomadas macerari septies flagellationibus, quinquies cilicio, et qui vices Dei gerit erga me imperat, ut non nisi ter me flagellem, semel cilicio utar; hae tres flagellationes ex voluntate Dei erunt illi gratiores, quam illae septem ex propria voluntate; sex horae Orationis mentalis ex voluntate propria non ita erunt placitae Deo, ac una ex divina voluntate. Quam seducti procedunt spirituales addicti suo libito! nimium laborant, et vix lucrantur.

Gradus tertius abnegationis est magna quaedam indifferentia in voluntate, nihil appetendo, nihil aliud volendo, nisi volutatem Dei in omnibus : quae indifferentia secum affert purissimam intentionem, non ambiendo interesse nostrum, spirituale vel temporale, sed majorem unice gloriam Dei. Qui ad hunc gradum conscendit, non offert Deo solummodo fructus, qui sunt bona operas, sed etiam integram arborem, cum radice, quae est ratio, et cum trunco, qui est voluntas,

simul cum fructibus, qui sunt actus vitales, valde in omnibus cohaerentes voluntati Dei, aequo animo contentus cum modica virtute, et sanctitate, ac cum eximia; eo quod haec est voluntas Dei (1).

Istud est initium pacis cujusdam magnae interioris, est epilogus poenitentiarum omnium corporalium, est compendium mortificationis passionum; et quamquam semita est angusta, est compendiose ire ad perfectionem. Per unum annum in exercitio hujus virtutis fit anima sanctior, et Deo gratior, quam per annos decem in maceratione flagellationum, ciliciorum, jejuniorum, ad proprium libitum. O viri spirituales ad normam vestri libiti, quam seducti proceditis! siquidem, cum possetis per compendiosam, et rectam abnegationis viam ire ad Deum; iter agitis devium propriae voluntatis, unde sero, aegre, nunquam pertingitis culmen perfectionis.

Caput Decimum Sextum.

Puncta Meditationis ad singulos dies hebdomadae.

Quemadmodum vita corporea conservatur, et augetur actibus corporeis vitalibus; pariter vita spiritualis conservatur, et augetur actibus vitalibus spiritualibus: et quod in corpore praestat comestio, id in anima praestat oratio. Unde sicut ne corpori sit taedio et nauseae unum idemque ferculum, in plura, et multifarie condita esculenta, poculentaque apparari consueverunt; ita ne animae taedio sit, et nauseae Oratio, quae ejus est

(1) Vide notam A in appendice.

alimentum quotidianum, in diversa debet puncta dissecari, ut varietas suo condimento appetitum conciliet, quin continuatio taedium pariat, et nauseam.

FERIA II. — *Ultimus finis.*

I punc. — Considerare, quomodo creati fuere omnes homines, ut Deo servientes, salvas facerent animas suas. Ponderabo, quantum interest mea salus, quae consistit in obtinendo Deo, et illo fruendo, ut ultimo fine. Si finis hic perditur, omnia perduntur : si lucramur eum, omnia lucramur. Affectus debent hic esse, desideria efficacia meae salutis.

II punc. — Considerare media, quae mihi suppetunt ad obtinendum hunc finem. Primum est, exacte adimplere legem Dei. Secundum, non deficere a meis obligationibus. Tertium de medio tollere omnia impedimenta, et opere implere quicquid boni superest agendum.

III punc. — Non mihi serviendum est Deo tantum ut Domino, satis obligationibus faciendo ; sed etiam obsecundandum ut Patri, opera supererogationis adjungendo, ut sunt jejunia, etc.

FERIA III. — *De gratia, quae est vita animae.*

I punc. — Considerare, quod sicut anima est vita corporis, ita gratia habitualis vita est animae : et uti corpus sine anima nec vivit, nec audit, nec sentit; ita et anima sine gratia nulla elicit opera meritoria vitae aeternae. Hinc concipienda proposita conservandi gratiam, ut vitam animae.

II punc. — Considerare, quod est corpus mortuum sine anima, hoc esse animam sine gratia ; et ut vermes

corpus mortuum invadunt, sic daemones (si datum esset illis) animam possiderent. Affectus erunt, timere tantum perdere bonum, et tanto subjici malo.

III punc. — Considerare, ad conservandam gratiam media esse, quod homo abstineat a vitiis, exerceat virtutes, et frequentet Sacramenta. Affectus erunt efficacia desideria, haec applicandi media.

Feria IV. — *De peccato, quod est mors animae.*

I punc. — Considerare, quod peccatum mortale est rebellio, et offensa contra Deum, mors animae, et daemonis gaudium. Hinc satagam elicere horrorem, timorem, et pavorem tanti mali.

II punc. — Considerare damna, quae inducit peccatum mortale. Primo Angelos abire fecit in daemones, et e caelo in Infernum praecipites egit. Secundo primos Parentes depulit a Paradiso, et ex Dei amicis inimicos constituit.

III punc. — Considerare, quodnam meretur supplicium, poenam scilicet aeternam : et de facto plures ob unum solum peccatum lethale Inferno esse addictos, cum ego sim adhuc in via salutis post lethalia crimina commissa. Affectus, quos depromere debeo, sunt gratitudo ad conspectum de eo, quod damnatus non sim, et desideria exercendi me poenitentiis pro meis peccatis.

Feria V. — *De morte.*

I punc. — Considerare, cum sit mors certissima, horam illius esse incertam ; cujus praecursores sunt malae corporis affectiones, aegritudines, dolores, terrores, aliaeque miseriae. Hinc eliciam, curare, ut vitam agam sanctam, quo mox bona mors respondeat.

II punc. — Considerare, poenitentiam ad horam

mortis segniter procrastinatam, tam esse dubiam et incertam, quam ipsam mortis horam. Hinc propositum, non exponendi meam salutem tantae contingentiae.

III punc. — Considerare angustias, quibus stringitur natura in eo articulo ; et quod vix tunc poterit fatiscens esse Dei memor, et suae salutis. Unde faciam propositum, non relinquendi negotium tanti momenti, ut est salus aeterna, casui tam dubio, et contingenti.

FERIA VI. — *De Iudicio particulari, et generali.*

I punc. — Considerare, quomodo statim ac anima divellitur a corpore, praesentabitur coram Deo, accusante Daemone, ut Fiscali, defendente Angelo ut Advocato. Hinc erumpam in timorem de hoc Judicio, aeque justo ac dubio ; et curabo bene vivere, ut bonam ibi possim reddere rationem.

II punc. — Considerare, ut mihi tunc omnia representabuntur opera mea, bona, et mala : et si non egerim pro meis culpis debitam poenitentiam, ibi audiam sententiam aeternae damnationis. Quare debeo praeoccupare in tempore ingens hoc malum.

III punc. — Considerare universalem corporum resurrectionem, et tremendum Filii Dei adventum ad omnes judicandos ; et tunc videbimus, in revisione confirmatam sententiam, quam in judicio particulari audivit anima. Hinc ego mihi fiam in vita strictus judex, ut judex benignus mihi sit Deus in morte.

SABBATO. — *De Inferno.*

I punc. — Considerare locum amplum, et spatiosum sub terra, oppletum daemonibus figura horribilibus, simul cum igne, fumo, tenebris, et aliis mille miseriis,

monstris terrificis, draconibus, serpentibus igneis, omnibus paratis a Deo ad malos torquendos.

II punc. — Considerare poenam sensuum. Oculi torquebuntur, videndo res foedas, et figuras daemonum formidabiles. Aures, audiendo blasphemias contra Deum, fremitus ingentes, mugitus, gemitus damnatorum. Tactus, igne comburente corpus, novaculis trucidantibus, rotis, et equuleis enervantibus. Olfactus foetore. Gustus amarore. Atque omnes hae poenae in aeternum pro brevi delectatione temporali.

III punc. — Considerare poenam damni, quae consistit in amissione clarae Dei visionis in perpetuum : et haec poena ineffabiliter animam torquebit. Ex his proponam vivere bene, ne in exitum ita miserum deveniam.

Dominica. — *De Gloria aeterna.*

I punc. — Considerare, quod gratia semen est gloriae : indeque quanta obtinetur gratia in hac vita, tanta recipietur gloria in futura. Hinc eliciam proposita exercendi me in bonis operibus, et frequentandis Sacramentis, quae causae sunt conciliantes gratiam.

II punc. — Considerare gloriam accidentalem corporis, quod ornabitur quatuor dotibus gloriae ; indutumque Regiis vestibus claritatis, intuebitur Humanitatem Christi, quae praecipuum est objectum gloriae accidentalis ; cujus praesentia singuli sensuum speciali gaudio perfruentur, sine formidine amittendi per totam aeternitatem.

III punc. — Considerare, ut jam tunc videbitur facie ad faciem Essentia Divina cum suis tribus Personis, in cujus clara visione, et amore beatifico, tota nostra consistit formalis gloria, et adaequata ; indeque in animam emanant fruitio summi Boni, pax, gaudium,

delectatio, aliaque mille accidentia, quae inexplicabili modo animam laetificant.

Ad conservandam hujusmodi Orationem, illamque promovendam, opus est tempore determinato, loco quieto, et sedato, atque Magistro spirituali, qui juvet : opus etiam est praeparare puncta Meditationis, legendo vel audiendo illa, priusquam Orationi operam demus. Multum praeterea refert frequentare Sacramenta, et exercere competentia opera poenalia, quae sunt scopa conscientiam repurgans, quin et exufflat pulverem defectuum quotidianorum.

Caput Decimum Septimum.

Aphorismi ad incipientes.

I. — Sacramenta, bona opera, et diligenter recurrere ad Orationem, via recta est ad perfectionem.

II. — Flagellationes, cilicia, et maceratio corporalis, sunt prima suppellex ad initium vitae spiritualis.

III. — Incipiens, qui aggreditur perfectionem sine Magistro ad Orationem, est Navis sine Nauclero, qui clavum teneat, vel temonem.

IV. — Frequenter propriam frangere voluntatem circa res minores, est animam rite ad gratias disponere majores.

V. — Devotionem obtinet, conservatque mortificatio, cum qua fervescit vel tepida quaevis Oratio.

VI. — Devotio erga Mariam, et S. S. Sacramentum, via sunt, et cibus, ad perfectionis intentum.

VII. — Qui nolit esse in Oratione distractus, sileat interdiu, et ad interiora sit tractus.

VIII. — Vestimento uti paupere, et pannoso, stemma Christi est in pectore Religioso.

IX. — Modestia, condecentia, poenitentia, mortificatio, ex corde procedunt, si amoris Dei habetur magna ratio.

X. — Religiosus, qui Obedientiae non habet aestimationem, monstrat esse falsam, aut debilem suam perfectionem.

XI. — Puncta praevideat, et lectionem non mittat spiritualem, qui vult habere, ut oportet, Orationem mentalem.

XII. — Homo acerbus natura, et asper indolis conditione, plus proficit poenitentia, quam contemplatione.

XIII. — Qui vult coelestes speciales gratias recipere, superfluas delicias, oportet, privatasque amicitias respuere.

XIV. — Frequentet cum venia sacram Communionem, qui velit perseveranter acquirere perfectionem.

XV. — Nimium indulgere corpori, et consulere Castitati, est velle unire tenebras claritati.

XVI. — Spiritu simul, et carne deliciari, miraculum erit, si queant adunari.

XVII. — Imperfectus ex culpis animo cadit; perfectus vero ex culpis humilis, et contritus vadit.

XVIII. — Pudeat deliciosum, et gulosum, dicere se perfectionis, et poenitentiae studiosum.

XIX. — Qui vult orationi studere, studeat primum silere, ac deliciis non indulgere.

XX. — Qui lectioni spirituali incumbit, Deus loquitur cum eo; qui autem orationi, loquitur ipse cum Deo.

XXI. — Qui velit cum Deo largiter peragere, oportet parce, nec nisi coacte, cum hominibus agere.

XXII. — Baculus est debilibus cordis teneritudo; spirituali autem viro spiritualis lux est fulcrum, et plena fortitudo.

XXIII. — Qui velit ariditatem superare, oportet poenalia opera frequentare.

XXIV. — Non est homo interior affectatio quaedam exterior, nec modestia Religiosa compositio corporis artificiosa.

XXV. — Quantumvis sit spiritualis interius, accommodet se caeteris, in rebus licitis, exterius.

XXVI. — Crasse fallitur, qui putat Sanctorum esse, immunditiae, decorisque neglectui subesse.

Caput Decimum Octavum.

Arcana illius partis vitae spiritualis, quae attinet ad Incipientes.

I Interr. — Quaere Incipientes experiri solent plus devotionis, teneritudinis, et lacrymarum, quam perfecti?

Resp. — Devotio sensibilis est carruca infantilis vitae spiritualis : et cum Incipientes sint spiritu infantes, Deus eorum indulget debilitati, gratis hoc illis auxilio subveniens, ut ne in via spiritus haereant.

II Interr. — Quare pueri, et foeminae, dum devotione tanguntur, plus lacrymis, et teneritudine fluunt, quam viri?

Resp. — Illi communiter natura teneriores sunt, et molliores, quam viri : quare humor ille, quo abundant, oculis proximus, devotione sensibili facilius dissolvitur, liquescit, et in lacrymas abit. Hoc naturale : at inspectum supernaturaliter, donum lacrymarum pars est devotionis sensibilis ; et cum illi opus habeant de-

votione sensibili, ut allectentur, accipiunt quoque donum lacrymarum, quo deliciantur.

III Interr. — Quare Incipientes devoti solent in virtutibus, et propositis esse inconstantes?

Resp. — Horum virtutes, bonaque proposita, fundari saepe solent in devotione sensibili, estque ut plurimum actualis gratia, et transiens : sicque fundamento hujusmodi deficiente, cadunt virtutes, quae in illo nitebantur. Ideo quoque nimium devotus non debet votis ligari.

IV Interr. — Quare sanguinei solent esse devoti, animo generosi, obsequentes, dictoque audientes; cholerici vero solent esse magnanimi, et poenitentes?

Resp. — Hae virtutes magna sympathia respondent temperamento naturali; atque adeo cum gratia exercentur faciliter; contra suum vero ingenium nemo consuevit esse virtute inclytus.

V Interr. — Quare Novitii solent esse magis devoti, exterius compositi, et minuti, quam Professi antiqui?

Resp. — Compositio exterior, quando affectata non est, oritur frequenter ab indole, vel a compositione interna, et a devotione, ac praesentia Dei : et cum his abundent fervidi Novitii, propterea isto modo composite se gerunt. Quando vero affectata est hujusmodi compositio, magna imprudentia est, declinat in excessum, et omnibus fastidium creat.

VI Interr. — Quare Novitii sunt magis scandalizabiles?

Resp. — Quia deficiunt prudentia : eaque propter suam assumunt vitam in normam actionum alienarum; indeque mirantur valde, quod alii possint ridere, colloqui, ambulare, comedere, aliter ac ipsi.

VII Interr. — Quare non pauci Novitii bonae indolis, potiorisque vocationis, a vocatione deficiunt?

Resp. — Primum quia multi sunt vocati, pauci vero

electi. Secundum Magistri non prudentes, qui nesciunt se in licitis accommodare illorum ingenio, in culpa sunt.

VIII Interr. — Cur mente habiles, et oppido intelligentes, solent esse intra, et extra Orationem, tentationibus inhonestis oppugnati ?

Resp. — Habilitas, et sensualitas, prevalent ex eodem temperamento naturae, humido nimirum, et calido temperato ; ideo communiter mente habiles sunt viribus infirmi hac in re : quamquam ubi daemon in causa est, non ligatur ad temperamenta.

IX Interr. — Cur sanctitas personata, quantumvis vera, solet periculosa esse, vel saltem suspecta ?

Resp. — Quia exterior est, plusquam oportet, plaususque popularis est virus humilitatis, sine qua nulla est vera sanctitas.

X Interr. — Cur viri spirituales, conditione rustici, et pinguis intellectus, solent minus esse sancti, quam spirituales cordati, prudentes, et urbani ; cum non semel iisdem gaudeant exercitiis, et statu ?

Resp. — Non quidem sita est sanctitas in hebete, acutave mentis acie; sed in gratia habituali, et exercitio virtutum. Quia tamen, qui rudes sunt intellectu, suo tenui discursu ducti, has virtutes communiter exercent pingui similiter, et vili modo sunt ut fabriferrarii, qui nimis cum desudent, parum lucrantur : at spirituales mente strenui sunt ut lapidarii gemmarum, qui carbunculum expoliendo, et parum laborando, centenarium lucrum reportant; quo etiam modo Sanctus aliquis mente praestans, laborando minus, lucratur uberius.

XI Interr. — Quae indeclinabilis via est ad aeternam salutem?

Resp. — Unumquemque implere, quod sui muneris est, et obligationis.

XII Interr. — Quaenam est ad perfectionem semita brevior?

Resp. — Amor divinus, patientia contectus, et humiliatione.

XIII Interr. — Qua in re vitium differt a peccato?

Resp. — Se habent, ut genus, et species : omne siquidem peccatum est vitium, sed non omne vitium est peccatum. Constat in pueris ante usum rationis, et amentibus : qui habent vitia, carent peccatis, ob defectum usus rationis, et libertatis. Est itaque vitium defectus naturalis, peccatum defectus moralis; hoc enim provenit ex voluntate libera, cum sufficiente malitiae cognitione.

XIV Interr. — In quo consistit, aliquid esse imperfectionem?

Resp. — Quaelibet actio, quae desciscit ab obligatione, ac decentia status, quem quis profitetur, erit imperfectio ; levare oculos leviter, deficiendo a modestia ; verbulum pungens, quod deficiat a charitate; otiosa prolatio, cui deest finis, aut necessitas, dicuntur imperfectiones ; quod si voluntariae sint, peccata erunt venialia : si involuntariae, non erunt materia Confessionis.

XV Interr. — In quo differt sanctitas a charitate?

Resp. — Sanctitas est gratia habitualis, animae substantiam informans. Charitas est prima passio propria emanans a sanctitate, ut ab essentia sua. Sanctitate Deus practice nos amat, faciendo nos formaliter Sanctos. Actus charitatis est nobilissima omnium dispositio, quae adauget sanctitatem.

LIBER SECUNDUS

De Oratione Affectus, et Unionis.

Caput Primum.

Quid sit Oratio Affectus?

Oratio Mentalis, quamquam incipit ab actu intellectus, recipit integritatem suam ab actu voluntatis ; tria enim ad talem Orationem concurrunt : Gratia, quae praevenit, et elevat : Intellectus, qui apprehendit, et cognoscit : Actus voluntatis, quo haec desiderat, postulat, amat, vel procurat bonum cognitum. Et quia haec Oratio consistit in petitionibus, obsecrationibus, supplicationibus, propositis, contritionibus, compunctionibus, humiliationibus, et omnes hi affectus sunt actus voluntatis ; propterea dicimus, hanc Orationem esse proprie perfectionem voluntatis. Cognitio piae alicujus veritatis sine pio aliquo affectu voluntatis erit speculatio, non Oratio, amor, affectatio, erga bonum cognitum. Si cognitio non procedit a gratia, non erit Oratio, sed affectio, vel amor naturalis.

Oratio affectus est, ubi abundant affectus erga bo-

num cognitum, magis quam actus intellectus : v. g. Cum simplici quadam apprehensione cognosco Humanitatem Domini Nostri Jesu Christi : si tunc eum adoro, amo, et revereor; si humilior, si postulo, si lugeo culpas meas; omnes hi actus dicuntur affectus voluntatis, ob quod ista dicitur Oratio affectus. Vocatur etiam Oratio illuminationis; quia postquam est cognitum objectum pium, et devotum, cum aliquo brevi discursu antecedenti, vel aliqua simplici apprehensione concomitante veritatis piae, solet adesse quaedam lux supernaturalis, et spiritualiter calida in intellectu, quae calefacit voluntatem, et illam ferventibus excitat affectibus, ut sequatur, et consequatur bonum, quod intellectus illuminatus illi proponit : qua de causa vocatur illuminatio.

Caput Secundum.

De affectu imitativo Vitae, Passionis, et Mortis D. N. Jesu Christi.

Vidimus, quod actus voluntatis vocentur affectus.

Inter hos autem actus sunt aliqui, qui dicuntur affectus imitativi : sunt nempe quaedam desideria practica, et firma proposita imitandi, et opere complendi aliquas virtutes, quarum bonitas, necessitas, et convenientia, in se animum trahit. Potissimum hujus imitationis exemplar est Humanitas Christi Domini Nostri. Credere non possum, esse hominem spiritualem, sed illusum, qui non aestimat, firmat, docet, hortatur omnes, quotquot de Oratione Mentali agunt, ad meditationem,

et imitationem Vitae, Passionis, et Mortis Domini Nostri Jesu Christi : si quidem Haec S. S. Humanitas, post Divinitatem, est fons, et scaturigo bonorum omnium tam naturae, quam gratiae : illa Humanitas S.S. est liber Vitae, reprobis clausus, apertus, et legi facilis praedestinatis : in eo meditatione discitur, consideratione fit profectus, imitatione virtutum, quae reperiuntur ibi, redditur homo sanctus et perfectus.

Videre Humanitatem Filii Dei in sua Incarnatione, Nativitate, et Infantia, tanta cum humilitate; atque in pretio habere hanc virtutem, et procurare illam exercere, tam interius, concipiendo vilem mei aestimationem, quam exterius, amplexando munera, et officia minoris notae : bona haec imitatio est.

Considerare, quod cum Christus Jesus sit dator omnium commoditatum temporalium, voluit se illis privare, ut mihi praeberet exemplum ; et curare tale hoc exemplum imitari, superfluas commoditates resecando : praxis bona est. Confundere gulam meam cum exemplo abstinentiae Jesu; meam reprimere iram recordatione mansuetudinis Jesu; poenitentiam aggredi, magnam considerando patientiam Jesu : bona item est praxis.

Postremo hunc videndo librum dilaceratum tanquam in sede libraria Crucis patere, atque imitatione perlegendo illius plagas, tormenta, et dolores, tantum amorem, tantum dolorem, tantam obedientiam, tantam patientiam, tantam paupertatem, tantam nuditatem; impossibile duco (loquendo moraliter), animam in oratione hac non proficere multum : praecipue si efficacia eliciuntur proposita, illas opere implendi virtutes, quae majore vi attrahunt. Qui hujusmodi Orationi sunt dediti, solent esse gens spiritualis, modesta, exterius composita, poenitentiae addicta, et mortificationi : uti e converso, qui huic, vel alteri Orationi utili non stu-

dent, solent errabundi esse, otiosi, deliciosi, immodesti, et offendiculum Communitatis.

Caput Tertium.

Puncta Mysteriorum Christi D.N. ad singulos hebdomadae dies.

Dominica. — *Nativitas Filii Dei.*

I punc. — Considerare, quomodo in stabulo natus est, media nocte, summa cum charitate, humilitate, et paupertate : quae fuere tres virtutes, quas nobis praelegit, ut Doctor in cathedra praesepis, et supra quas vitae suae fundamenta jecit.

II punc. — Considerare gaudium in cœlo subortum, et quomodo exinde Angeli devenerunt, nuntium hunc allaturi pastoribus, qui vigilabant : et quod cum humiles, et solliciti, sint favoribus divinis apti, sese receperunt ad quaerendum illi pauperes, Infantem adoraturi.

III punc. — Ut mater, intuendo coram, in parvo paleae fasce Filium Dei, et suum, adoravit illum; pedem osculando, ut suum Deum, manum, ut suum Dominum, faciem, ut Filium suum. Considerare affectus Angelorum, Pastorum, Mariae, et Joseph, ipsisque sociari.

Feria II. — *Circumcisio.*

I punc. — Considerare, ut Infans initium fecit spiri-

tualis vitae per obedientiam ; obtemperando legi Circumcisionis, qua non tenebatur.

II punc. — Considerare, ut in ipsa Circumcisione impositum est illi Nomen *Jesus* : significando, quod non debeat levi pretio emi, quod magni est valoris ; nec posset homo evadere Sanctus nisi desudet in exercitio virtutum.

III punc. — Considerare charitatem qua caepit madere sanguine, paucas illas donando guttulas in symbolum effundendi mox Passionis tempore multo profusius, ad nos redimendos.

Aestimandi admodum labores, maxime si sustinentur innocenter, et procul a culpa.

Feria III. — *Regum Adoratio.*

I punc. — Considerare, subito ac Reges viderunt stellam in Oriente, recognovisse divinam vocationem, quae illis indicebat invisere, adorareque Deum recens incarnatum, et natum; et dicto steterunt extemplo.

II punc. — Considerare labores, quibus stetit illis divina vocatio ; siquidem opus habuere, palatia propria deserere, patriam, cognatos, et amicos. Colligere, quam oporteat, relinquere aliquid pro Dei amore : quia aegre invenitur Deus inter delicias, cognatos, luxus, et amicos.

III punc. — Ut attigere Bethlehem, Infantem adorarunt, obtulerunt ei Aurum, Incensum, et Myrrham; et cœlestibus donis ditati, per aliam viam reversi sunt in patriam suam. Offeramus nos tria vota : et vitam deteriorem commutando in bonam, in Cœlum, quod patria nostra est, deveniemus.

Feria IV. — *Fuga in Aegyptum.*

I punc. — Considerare, ut postquam tres illi Reges

Infantem adorarunt, Herodes rex eum persequutus est, et voluit occidere; atque in hunc finem suum proprium filium, et plurimos alios Innocentes occidit. Colligere, nullum esse in hac vita bonum stabile, atque post bona succedere mala; et quam parvi aestimabilia sint temporalia bona, et honores.

II punc. — Ut apparuit Angelus Joseph in somnis, admonens illum, quod fugeret in Aegyptum, et moraretur ibi, donec de re alia esset commonefactus. Colligere, ut Deus curam suorum habet, ipsosque immunes facit a periculis : nec debemus examinare mandata Superiorum ; sed excipere illa ut vocem Angeli, quinimo Dei.

III punc. — Ut tres Personae omnium sanctissimae, atque innocentissimae, quae tunc essent in toto Mundo, Jesus, Maria, et Joseph, degebant exules in Aegypto, labore manuum suarum victum difficilem acquirentes. Colligere, bonos cum laboribus crescere in virtute, pravos cum deliciis crescere in peccatis, et iniquitate.

Feria V. — *Quomodo puer perditus est, et tertia die repertus in Templo.*

I punc. — Considerare, ut ad faciendum perfectionis, praedicationis, et Vitae Apostolicae initium, oportet relinquere cognatos, etiam sanctos : quia nemo Propheta in patria sua.

II punc. — Ut illud ipsum, quod est corporis perditio, animae lucrum est. Virgo perdidit Filium suum puerum, et invenit illum factum Doctorem, atque disputantem in Templo. Colligere, Deum in melius vertere jacturas temporales, quae sustinentur pro ipso.

III punc. — Ut Puer Doctor dimisit ex obedientia praedicationem voluntariam, non obligatoriam ; et cum Maria, et Josepho redivit in domum suam, ubi

fuit subditus illis, crescendo corpore, et exercendo superiores animae virtutes. Colligere virtutes exercere, subjiciendo se, Majoribusque obediendo.

Feria VI. — *Baptismus Jesu in fluvio Jordane.*

I punc. — Considerare, ut ad exordiendam publicam praedicationem, voluit Jesus bono exemplo esse peccatoribus, quod ad exemplum ipsius ad Baptismum Poenitentiae confluerent illi, et audirent S. Joannis conciones. Colligere, quantum intersit in personis publicis bonum exemplum.

II punc. — Ut manu S. Joannis baptizari voluit, quo istius personae, doctrinaeque, existimationem conciliaret. Colligere, quam bene noverit Deus amicos suos honoribus decorare.

III punc. — Ut voluit humilitatem suam ostendere : cum etenim Baptismus ille fuisset peccatoribus institutus, voluit ille, qui minime talis erat, hujusmodi reputari. Ex quo docemur, quam flocci-facere debeamus judicia erronea Mundi, censentis pro bono malum, et pro malo bonum.

Sabbato. — *Jejunium quadraginta dierum.*

I punc. — Considerare, ut item ad praedicationis exordium secessit Jesus in desertum, negotium hoc per Orationis medium versaturus cum Patre. Colligere, quod in omnibus negotiis debeamus nos recursum facere ad Deum, si eventum felicem optamus ; maxime si de animarum agitur conversione.

II punc. — Ut invasit illum tribus tentationibus Diabolus, gulae, vanitatis, impietatis, quas omnes devicit. Quo doceret nos, nullam esse personam adeo sanctam, nullum locum ita solitarium, nullam sic

bonam occupationem, quae sit a tentationibus exempta; in quibus Deus, non nostros intendit lapsus, sed coronas.

III punc. — Ut post jejunium quadraginta dierum exactum, tentationesque superatas, comparuere Angeli, prandiumque appararunt. Quo et nos capiamus, coelestes delicias tunc bene succedere, quando tentationes manent profligatae.

Caput Quartum.

De Passione Domini ad singulos dies hebdomadae.

Feria II. — *De Oratione Horti, et prehensione ut rei.*

I punc. — Considerare, ut coepit ab Oratione Passionem suam; et cum in illa esset aridus adeo, et tantis urgeretur angustiis, perstitit horas tres, usque ad effusionem sanguinis, simul cum sudore. Unde colligam primo amorem, et aestimationem aridae orationis : secundo resignationem meae cum divina voluntate.

II punc. — Ut comparuit illi Angelus, confortans inferiorem partem Humanitatis, per repraesentationem voluntatis Paternae, momenti rei, remedii hominum, Angelorum laetitiae. Colligere, quod nunquam Deus desit tribulatis, ut Filio suo non defuit.

III punc. — Effectus, quos ab oratione hausit, fuisse : primum, amare cruciatus, et tradere se impiorum capturae : secundum, amare inimicos; siquidem cum esset Judas inimicus traditor, amici nomine, ac pacis osculo illum excepit : tertium, beneficio miraculoso

Malcum afficere, quando ab ipso iniquius petebatur. Colligere virtutum similium imitationem.

FERIA III. — *Accusatio, falsa testimonia, et alapae.*

I punc. — Considerare, ut Jesus prehensus ad varia Tribunalia tractus, et in omnibus est falsis testimoniis accusatus ; in Annae, et Caiphae domibus dehonestatus alapis tanquam blasphemus ; in domo Herodis alba tunica insignitus amentis nota ; in domo Pilati flagellatus ut praedo, authorque turbarum. Colligere, quam sit magni facienda patientia innocens.

II punc. — Ut cum esset ea nocte in carcerem conjectus, et ligatus, acerbior sibi extitit Petri negatio, quam tortorum dedecora. Colligere, quod acerbiores Deo sint bonorum lapsus, quam impietas improborum.

III punc. — Ut, quando per Pontifices coram Pilato accusabatur, ipso suam tacente innocentiam, ab uxore Pilati patrocinium suae causae susceptum est. Colligere, quod si justus in tribulatione, et accusatione tacet, Deus non semel providet, ut adhuc a malis praesidium experiatur.

FERIA IV. — *Flagellatio ad columnam.*

I punc. — Considerare, ut Jesus ad verbera damnatus tanquam infamis, tortores vi faede illata illum denudarunt ; et nudum ad columnam ligarunt, multo injuriarum, et colaphorum accessu. Colligam exinde compunctionem, compassionem, et pudorem.

II punc. — Ut quinquies mille verberum ictibus dilaceratus est ab aliis, et aliis carnificibus, novisque loris arreptis, usque ad inundandum fere pavimentum sanguine, quem ut vile quid a se ipsis excutiebant. Proh caecitas Mundi ! cui pretiosum ut vile reputatur.

III punc. — Post verbera, carnibus undequaque sauciis, jussus est Jesus sedere in saxo, et conspuendo illum, barbam, et crines carpendo, oculos vitta operuerunt, caput spinis coronarunt, et in genas incutiendo alapas, effutiebant : Prophetiza, quis te percussit. Hinc ego colligam compassionem, compunctionem, et dolorem de meis peccatis, quae fuerunt in causa rerum istiusmodi.

FERIA V. — *Ecce homo.*

I punc. — Considerare, ut milites Jesum lacera veste, Regiam adumbrante Purpuram, in derisum ornarunt, ac scurrili contemptu aiebant : Salve, Rex Judaeorum.

II punc. — Quando spineam illi coronam infixerunt, cannae frustulum in manum jactarunt; considerare venerandam faciem rivulis exundantem sanguineis, oculos corruptos lacrymis, et sanguine : quis a tali aspectu non commoveatur ?

III punc. — Ut Pilatus tragico illo ritu Jesum in propatulum Praetorii eduxit, dixitque populo implenti plateam : *Ecce homo* ; popularibus autem clamore incomposito eum requirentibus ad crucem, sententiam edixit capitalem. Colligam ex hoc, et punctis praecedentibus, commiserationem, animi commotionem, dolorem, amorem, lacrymas.

Iterum pro FERIA V. — *Institutio S.S. Sacramenti.*

I punc. — Considerare, sicut Jesus voluit Passione sua nos redimere, sic voluisse Corpore nos, et Sanguine suo alere : videtur enim parum profuturum a servitute liberari, si perire inedia sineremur. Effectus erunt gratiarum actiones, admiratio tanti beneficii, ut est redimere nos, et alere Corpore suo, et Sanguine.

II punc. — Ut hoc Sacramentum instituit, praemittendo legalem observantiam, et pedum ablutionem : quo doceremur de virtutibus, quibuscum praemuniri debemus ante accessum ad divinum hoc Sacramentum.

III punc. — Ut in hoc Sacramento realiter sunt Corpus, et Sanguis Hominis Dei, ut fontes gratiarum. Colligemus itaque, si nos disponimur, evadere posse Sanctos, et gratia divites, vel ex una Communione.

Feria VI. — *Iesu Crucifixio.*

I punc. — Considerare, ut post sententiam capitis pronuntiatam, Crucem suam bajulare coepit, et ire patibulum versus ; per viam occurrit Mater, et piae aliae Mulieres, et quid illis dixit.

II punc. — Ut in monte Calvario jam consistentem denudarunt carnifices, expanderunt in cruce, funibus torserunt, pedes manusve fixerunt cruci, et extulerunt in altum. Colligere ex utroque hoc puncto commiserationem, dolorem, lacrymas, aliosque teneritudinis affectus.

III punc. — Ut pendens in Cruce, latroni veniam dedit, Discipulum dilectum suae commendavit Matri, clamavit ad Patrem, sitire dixit, magno cum clamore tradidit spiritum, et miles unus lancea latus ejus aperuit. Ponderare, ut in hac morte sol lugubria induit, terra contremuit, et praecipuae creaturae doloris signa praestiterunt. Quam erit ingratus homo, qui hac in morte nec sensu doloris afficitur, nec animi grati.

Sabbato. — *Virginis solitudo.*

I punc. — Considerare, ut e cruce Jesum amoverunt, Corpus illius mortuum in manus collocarunt S.S. Vir-

ginis, et ad ipsius conspectum quam acerbe flevit. Comitemur eamdem sensu, et lacrymis.

II punc. — Ut reconditus est in sepulchro alieno, et quo affluebant luctu piae mulieres, quae Filium cum Matre numquam deseruerunt.

III punc. —Solitudinem, in qua relicta est Dei Mater; quae jejunio, et lacrymis, in silentio, et secessu, totum sepulti tempus transegit. Colligamus hinc eamdem imitare.

DOMINICA. — *De Resurrectione.*

I punc. — Considerare, ut post animas Patrum e Limbo eductas, Christi Anima ingressa est suum Corpus : et quemadmodum sol nubem atram pervadens, eam reddit splendidam ; ita Corpus Christi ab Anima sua obtinuit splendorem.

II punc. — Ut suscitatus invisit Matrem suam primo loco ; et omnes Patriarchae, ac Prophetae S.S. Virgini salutatorio cultu venerationem exhibuerunt : postmodum aliis personis apparuit.

III punc. — Mulieres viderunt in sepulchro Angelos alba tunica indutos ; a quibus acceperunt, jam resurrexisse Christum : idemque Apostolis mox videndum se praebuit. Affectus, quos hinc colligere debeo, sunt gaudium, et laetitia.

Caput Quintum.

Effectus, et fructus Orationis affectus.

Omnes defectus nostri ab obliquis plerumque, aut contra, aut extra rationem tendentibus, nascuntur

affectibus; et cum haec Oratio, gratiae quidem partus, rationis tamen nitatur adminiculo, principalis illius effectus, et fructus est, id quod in effectibus excedit, ad bonum reducere medium, obligationibus cujusque Status illos commensurando.

Si Status fuerit vitae activae, Confratrum, Sodalium alicujus Congregationis, Hospitalariorum, vel Conjugatorum; Oratio affectus eos edocet ante omnia, necessariis suae animae, domus, ac familiae obligationibus satisfacere: quibus expletis, poterunt, quod reliquum est, temporis devotionibus suis impendere: quin Orationem (quae salutis aeternae medium est) suae obligationis finem constituant.

Si Status fuerit solitarii Eremicolae, bona hujusce Orationis portio ad silentii custodiam dirigi debet: item ad gustum recollectionis, ac solitudinis: ad usum vilium, obsoletarum, ac refectarum vestium; quamquam eas uti pauperes, ita mundas esse oportet: habitandi locum habere compositum, etsi angustum, et minime instructum re suppellectilis pretiosae: ad fugam demum contentionum, et aemulationum, nihili habita aura populari; siquidem sub vili etiam veste potest latere parum humilitatis, et minus charitatis.

Si Status fuerit vitae mistae, in quo Mariae Martha sociatur, vel orationi occupatio; non modica istius Orationis pars eo est referenda, ut sapiat, curaeque sit studium, ac recta habeatur intentio, in ordine ad praedicandum, excipiendas Confessiones, docendum in Cathedris, et in ordine ad acquirendas alias, cum statu conjunctas, virtutes; defectus vero, in quos offendere quis posset, declinando.

Solemnis est in solitariis tentatio, desiderare, cum dispendio propriae quietis, proximos juvare; atque in vitae mistae dicatis, dum interiorem orationis gustant suavitatem, a commercio cum proximis retrahi amore

solitudinis. Orationis tamen, de qua nunc, officium est, vitiosis ejusmodi desideriis fraenum injicere, taliaque ad bonum perducere medium, quin ullus a sua obligatione deficiat : quandoquidem oratio, quae removet ab obligatione, plus illusionis continet, quam orationis.

Caput Sextum.

Cur quidam, bono praediti ingenio, Orationem quando, et quomodo volunt, facere non possunt?

Oratio mentalis, sancta, et bona, consistit in actibus vitalibus supernaturalibus, ac liberis. Quod est supernaturale, venit a gratia ; quod est vitale, radicaliter ab anima, tanquam a principio vitae, proxime autem ab intellectu, et voluntate. Libertas procedit ab indifferentia voluntatis : ita vero ut gratia sit principium magis principale, juxta cujus principii redundantiam, vel parcitatem redundat, vel parca est oratio : atque ut homo, quantumcumque sit agilis, et levis, sine auxilii scalae ad suprema turrium fastigia eniti non potest ; ita sine gratia, quae est vitae spiritualis scala, nequit ad orationis celsitudinem mentalis eluctari. Neque sufficit, quod sit habilis, et multum discursivus : hoc enim ad naturalia sufficiet, ad supernaturalia vero gratia indigebit speciali, quae ipsum erigat, elevetque ad statum supernaturalem, qui est gradus omnibus rebus naturalibus superior. Et quamquam Deus nos sine gratia sufficienti non deserat ; obligatus vero non est, ad elargiendam nobis gratiam efficacem ad omnia

opera supererogationis ; et quando nobis gratiam denegat efficacem ad suavem orationem solet concedere ad habendam, ut expedit, orationem aridam, cum patientia, et perseverantia in ariditate : atque adeo vivax, profundum, et acutum ingenium, discursusque sagax, et expeditus, ad orationem non refert, nisi prout elevatus a gratia.

Qua doctrina supposita, dico, esse quaedam ingenia, quae in materiis speculativis, et Scholasticis, ut Aquilae discurrunt, idque ingenti cum gustu, et facilitate ; interim ad orationem mentalem devenientes, ne passum quidem promovere norunt, ac stupore quodam ligati, se tardos, aridos, ac impeditos, hinc offuscato intellectu, illinc fastidiente voluntate, reperiunt ; unde aridi, caeci, exanimati, nauseantesque, suam in afflictione persolvunt orationem.

Primo quidem norint hujuscemodi materiis in supernaturalibus nihil prout oportet, agere posse solis naturae viribus.

Secundo, si carent gratia efficaci ad orandum cum suavitate, gustu, teneritudine, et lacrymis, eadem ipsis aderit, ut orent saltem cum ariditate ; si rursus ad sic orandum desit, gratia saltem non deerit ad exercendam, Deo ariditatem offerendo, mortificationem.

Tertio intelligant, orationem esse donum Dei, qui eam dat, quando ipsi placitum, et non quando nobis collubitum.

Quarto, ne animae assuescant deliciis, teneritudine orationis devotae sese alentes, sed potius durum ariditatis corticem, non quidem sapidum, at salutarem, corrodere assuescant : hujuscemodi, si se orationi addicunt cum perseverantia, Magister animos adjiciat : si vero sint incipientes, qui defectibus, et venialibus peccatis laborant, ad Confessionem, et Examen conscientiae, tam generale, quam particulare, illos remittat ;

imponat, quod poenitentiis corporalibus ciliciorum, flagellorum, et jejunorum, se exerceant; quod sint taciturni, ac recollectionis interdiu amantes; quodque suum libitum cohibeant abnegatione rerum minimarum. Quisquis hisce cum dipositionibus perseveraverit, serius aut citius id, quod eget, desideratque, impetrabit.

Caput Septimum.

Praxis Orationis affectivae aridae, ac varii ariditatis modi.

Oratio arida, tepida, inops, ac tentationibus, et distractionibus plena, in vita spirituali communior est; cum eximia suavitas, devotio, ac sapor, sit veluti festivum Paschatis vestimentum, quod feriatis non teritur diebus; nisi oppido virtutibus, ac sanctitate locupletes sint, qui ordinarie his favoribus potiuntur. De his autem, quae ut plurimum evenire solent, sermo mihi est: et dico, magna opus esse gratia, eximia vocatione, dextroque Magistro, ut quis plurium annorum spatium iter agere possit virtutis in ariditatis consortio.

Sunt qui totum Orationis tempus ingente cum siccitate, atque afflictione transigunt, sibimet, ac peccatis suis causam imputando, dicentes cum David: Domine mi, agnosco, totam istam ariditatem, quam patior, poenam esse peccatorum meorum, et ingratitudinum: atque hac ratione in cordis tristitia integram orationis horam conficiunt.

Alii orationem exordiuntur cum gustu, fervore, ac devotione; mox quantum in oratione, tantum in aridi-

tate procedunt, qua de causa ingenti quodam taedio, interiorique gravedine afficiuntur; quo etiam fit, ut animo despondeant, ac subinde appetant, quin et quaerant ansam deserendi orationem, et quamquam saepe super praeparata materia discurrere incipiant, illico distrahuntur, unde et gravi cum defatigatione procedunt : at hi, si perseverent, merentur plurimum.

Sunt etiam Orationis studiosi, qui magno quodam interiori stupore afficiuntur; quin, ut ipsis quidem videtur, cogitare de Deo possint, et vel unum elicere affectum ; sed ad summum sublato aegerrime corde, dicent, *Fiat voluntas tua*, prorsus tepide; imo id ipsum, non tam pietatem, vel subordinationem voluntatis aestimabunt ; quam puram exterioritatem : hisce comparent Caeli quasi aere fusi, unde afflictissimam, et maestissimam transigunt vitam.

Alii e regione, quibus oratio ab arbitris remota, est suorum laborum, tentationumque palaestra ; maxime si tum aliqua praedominatur passio, et turbata turbat, revolvitque respondentem sibi humorem ; fidem excedit, quantum interioris turbationis sustineant, eoque magis, si lucta in scrupulis quibusdam intricatis fundatur, quam ob causam se in irritum laborare autumant, et nullum Deo praestare obsequium : est inexplicabile tormentum illorum. Hujusmodi bono egent Magistro spirituali, qui animum ipsis adjiciat.

Quosdam alios invenio, qui in oratione mentali itineris veluti frusta compartiuntur ; locustarumque more saltitando ab una in aliam afflictionem, iter suum conficiunt; meditantur, aut cogitant de Deo tantisper, et subito distrahuntur ; modo se resignant, modo exanimantur ; sicque affectibus aridis, et extravagantibus, cum melancholiae stupore, aliisque crucibus acervatis, orationem suam prosequuntur.

Solet hoc esse hominum genus virtute praeditorum,

et charorum Deo; plurima est gratia, qua juvantur, ut possint perseverare in oratione hujusmodi; demum hi deveniunt ad experiendas in se ingentes delicias, favoresque divinos.

Caput Octavum.

Tentationes inhonestae, illarumque remedia.

Quamquam cum personis sanctis, non paucis egerim de negotio animae, vix inveni aliquas, quibus cum Deus in hoc peculiari puncto voluerit dispensare; propterea quod haec tentatio sit humilitatis, ceu sacri monilis, custodia, et Martius pugnarum, coronarum, et praemiorum campus. Hanc tentationem neque Virgines pudicitia eximiae, nec remotissimi ab humanis Anachoretae aufugiunt; cum illa et Magistri spirituales conflictantur, ut humilientur : raroque sunt ab ea exempti incipientes, nisi forte sint terrestres, frigidi, et nimium melancholici; quo in casu hi tales pejoribus laborant incommodis, et tentationibus.

A diversis haec tentatio radicibus suboriri potest. Quarum prima esse potest temperamentum sanguineum, humidum, et calidum, lauteque habitum corpus : tum vero remedia sunt, quotquot opera poenalia ferre quis possit, ciliciorum, flagellarum, jejuniorum, subducta non solum superfluitate, sed etiam multa eorum, quae comedenti, bibendi, vestiendique necessitati serviunt, portione; quibus omnibus praeferenda fuga occasionum.

Secunda radix solet esse quaedam superbia, quae per

luxuriam punitur manifestam : ejusque remedium non sunt eo in casu poenitentiae corporales, sed vera humilitas cordis, et externae humiliationes.

Tertia radix divina permissio esse potest, ut suorum probet in decertando virtutem, et coronet victorias ; ut visum est in S. Hieronymo, qui cum Syriae incoleret deserta, tam humilis, quam poenitens, non nisi ossibus, et pelle constans, tentationibus tamen ardebat inhonestis, quarum proinde remedium non in poenitentia, sed in patientia situm fuit per conformitatem cum divina voluntate, a qua suppetias obtinuit.

Generalia contra hujusmodi tentationem remedia sunt, quae sequuntur. Primum, frequentare Sacramenta, praecipue sacram Communionem, quae est vinum germinans Virgines. Secundum, Virgini esse devotum, utpote quae Mater est puritatis ; signanter vero purissimam illius Conceptionem devotissime colere. Tertium, convenire frequenter suum Patrem spiritualem, reddendo illi laboris sui rationem. Quartum, addere aliquid poenitentiis ordinariis, fugiendo quantum quis possit, occasiones, tempora, et circunstantias, quas didicit experientia, esse sibi nocumento in hac materia.

Caput Nonum.

Quomodo cognoscatur, quando ariditates sunt nostrarum culparum poenae, vel probatio Dei.

Silentio praetereamus quasdam personas Religiosas, quae commoditatum, et deliciarum velut habitu et calceis indutae, Institutum Religionis in modum quem-

dam delicate vivendi convertunt; et sunt ex illis, qui dicunt, Mandatorum custodia se futuros esse salvos : ac si anhelare ad perfectionem ejus, quod profitentur, Instituti, ex Dei mandatis non esset. Hi plerunque in omnibus orationibus suis cum ariditate, taediis, ac remorsu conscientiae, tanquam poena multorum, quibus latenter scatent, peccatorum, conflictantur. Silentio, inquam, his praetermissis, de illis qui Orationi, perfectionique vacant, loquamur; qui vero frequenter sibi persuadent, has ariditates in pœnas infligi suarum imperfectionum.

Quando siccitas est poena peccatorum venialium (ut plurimum enim mortalia non incurrunt hi, qui Orationem colunt), dum orationi recollectae vacant; ipsa conscientia in memoriam revocat verbum mordax, quod fratrem laesit, cupedias, quas gustavit, impatientiam, quae animi quietem sustulit, occasionem confabulationum, quibus se immiscuit, cachinnos, et festivitates, in quibus tempus contrivit: et quemadmodum intrante per fenestram sole, oculis se demonstrant atomi vel minutissimae, quae illos antea fugiebant; ita quando Deus nobis radium suae lucis spiritualis immittit, videmus cum illa omnes imperfectiones, quae antea sub oblivionis tegumento latebant. Remedium est, exercere in nobis compunctionis, et contritionis spiritum, una cum firmo emendationis proposito, rationem reddendo Patri spirituali majorum, perinde ac minorum, in quos labi solemne habemus, defectuum.

Verum si ariditas nascitur ab amatoria probatione, qua nos Deus exercet, longe diversi sunt effectus, quos anima (quamdiu vacat recollectae orationi) praesentiscit in se. Primo enim, etsi habituali afficiatur timore, ne forte ariditas illa sit in poenam suorum peccatorum : conscientia tamen non remordet memoria defectus alicujus in particulari, quem agnoscat. Secundo non tam

animum aufert, quam humilitatem confert, haec ariditas. Tertio vigorem, et valorem experitur in se, ad perseverandum totum orationis tempus, ut ut gravis sit ariditas, et afflictio. Quarto bono animo est post orationem, ut etiam experitur, ad implendas ex integro obligationes suas, quin omittat exerceri prompte poenitentia, obedientia, caeterisque bonis operibus, annexis suo Statui. Ariditas sociata his circunstantiis, non est peccatorum poena, sed amoris plena Dei probatio. His, multum addat animum, et solatium Pater spiritualis, verbis suavitatem, amoremque spirantibus, confirmando, et laudando semitam, qua Deus illos deducit : monendo insuper, ad hoc ut interiores ariditates utcunque leniantur, opus esse virtutibus exterioribus exerceri, uti sunt legere spiritualia, recitare Rosarium, visitare crebro S.S. Sacramentum, indulgentias lucrari, tam sibi, quam Animabus Purgatorii : quin et oportet, ut officium benignae matris faciat Magister, aliquanto lautius illos tractando etiam in corporalibus, deducendo foras in campum, aut hortum, ut spatientur : sic enim fieri solet, ut solatium hominis exterius ad interiora derivetur.

Caput Decimum.

Quid sit Unio? et quae sit inter orationem affectus, et unionis differentia?

Oratio unionis est cognitio, quae animam ab omni avellit creatura, eamque affectuose unit cum suo Creatore : atque adeo cum omnis affectus sit actus voluntа-

tis, omnis oratio unitiva est affectuosa, eo quod unio sit actus tam praecipuus voluntatis ; non tamen omnis oratio affectus, vel affectiva, est semper unitiva, nec unio.

Oratio affectiva majore sui ex parte actibus exercetur virtutum Moralium ; uti sunt affectus Obedientiae, Paupertatis, Castitatis, humiliationum, compunctionum, resignationum, et petitionum, atque interdum aliqui actus virtutum Theologicarum immiscentur : verum in oratione unionis exercentur plerunque actus Theologici Fidei, Spei, et Charitatis, et aliquoties accedunt actus virtutum moralium.

Unio solet esse facilis, pacifica, et delectabilis ; Oratio affectus, etsi laboriosa, tamen est valde fructuosa. Unio nectit, et jungit animam cum Creatore, postquam illam oratio affectus sejunxit a creatura : proindeque unio est medium inter orationem affectus, et Contemplationem, quae est apex et summitas unionis.

Oratio haec dividitur in unionem suavem, et unionem aridam, obscuram, et insipidam. Unio suavis, in ratione principii elevantis, et cooperantis, est quaedam qualitas superaddita soli habitui Charitatis ; est enim proprie perfectio voluntatis : sicut autem contemplatio est simul intellectus, et voluntatis perfectio, ita unio, quae gradus est ad contemplationem, solius est perfectio voluntatis. Ea virtus, sive qualitas unionis, est heterogenea virtualiter in suis actibus : volo dicere, quod producit actus unitivos, specie diversos ; quia prout intellectus repraesentat voluntati objectum, ita voluntas illud affectu amplectitur unitivo.

Si Deus illi repraesentatur ut summum Bonum speciali quodam excessu, voluntas ipsum diligit, magnificatque. Si repraesentatur ut Benefactor, voluntas diligit, et gratulatur ipsi. Si recognoscit illum ut Omnipotentem, amat, et adorat. Si repraesentatur sibi ut

Trinus in personis, et unus in Essentia, credit ipsi, diligitque.

Caeterum magna pars hujusce Orationis consistit in suavi quadam elevatione animae, cum qua in praesentia Dei constituta, erumpit in amantis colloquia, dicens : Vita vitae meae, in qua ego, et omnis creatura vivimus, ubinam eras latitans usque adhuc ? Pulchritudo tam antiqua, quam mihi nova, est delectabilis praesentia tua ! Deus meus, extra te nihil quaero prorsus.

Vita cordis mei, utinam ut Seraphim te amarem ! O Jesu animae meae, quis poterit vivere sine te ? Haec in colloquia magna pars orationis praedictae unionis abire consuevit.

Caput Undecimum.

Praxis unionis obscurae, ingensque illius emolumentum.

Unio obscura est tristis quaedam rerum divinarum cognitio, amore quodam poenali sociata. In hac oratione anima contrariis cogitationibus, et affectibus agitatur; dum, quem amat, timet, atque ut absentem quaerit, quem praesentissimum habet : et quamquam ab hac unione poenali evellere sese conetur, persentit se vi quadam secreta detineri, quae illam non sinit ab hac recedere Oratione. In ea primum est non parum dubia, num Deo placeat. Secundo suspicatur de illa interna defatigatione, poenam suorum esse peccatorum. Tertio anxia est, an recta, vel sinistra semita incedat, defectu sui non bene informantis, vel etiam decipientis

Patrem spiritualem. Quarto si patitur tentationes contra puritatem, vel repraesentationes sese ingerentes contra Humanitatem Christi, vel contra Virginis ab omni impuritate immunem, vel sibi figurantur blasphemiae contra Deum, vel contra Sacramenta, quantumvis de nullo consensu praestito conscientia remordeat; in hujusmodi colluctationibus, tam est acris poena, melancholia, et afflictio interior, quae animam miseram torquet, ut vix queat habitum trahere prae interna, quam sentit, suffocatione in Dilecti sui praesentia. His non obstantibus, qui talis est, procedit modestus, compositus, et superioribus valde subjectus.

Istud Orationis genus est velut a puppi saeva tempestas, quae ingenti cum navigantium pavore, consternatione, ac tremore, facit navem brevi temporis intervallo longa itineris spatia pervolare. Qua de causa, qui hac Orationis ratione praediti sunt deveniunt in non modice Sanctos propter ingentes victorias, quas in praeliis adeo arduis reportant; et propterea quod in tot virtutibus moralibus solidis, poenitentiae, patientiae, mortificationis exercentur : ita enim constitutum est, ut quod in vita spirituali plus habet utilitatis, et meriti, potius in laboriosa, quam in deliciosa illius parte inveniatur, inclusum.

Caput Duodecimum.

Puncta Mysteriorum, et Festivitatum praecipuarum Virginis Dominae nostrae.

Feria II. — *Conceptionis.*

I punc. — Considerare, quod quemadmodum Sol, et Luna creata fuerunt luminosa, Sol lumine proprio,

Luna lumine mutuato a Sole; sic Anima Christi creata fuit cum lumine gratiae propriae, ut Sol, Anima Virginis ut Luna creata fuit cum lumine gratiae participato a Filio Dei. Affectus erunt gratitudinis erga Filium, et gratulationis erga Matrem.

II punc. — Considerare, quod quemadmodum Sol, quantumvis, ad tempus obscuretur nubibus, in aperto demum splendet, et Mundum laetificat; ita Mysterium hoc, etsi ad tempus aliquod obscurum sub nubibus contradictionum, demum ut Sol divinus in apertum fudit suae radios claritatis, suos laetitia devotos exhilarando.

III punc. — Quemadmodum magnifice ornantur palatia, quae Principibus eriguntur, et cum prima petra jacitur, monetae simul auri, et argenti projici consueverunt : ita pariter cum Virgo futura esset palatium et domicilium Filii Dei, ornata est innumerabilibus donis caelestibus; et quia Conceptio sua fuit prima hujus aedificii petra, in ipsa collocatae sunt monetae gratiarum, habitualis, actualis, et originalis.

Feria III. — *Nativitatis.*

I punc. — Considerare, quod quemadmodum ubi oritur pulchra lux aurorae, agnoscitur appropinquare diem; ita pariter nascente Maria, ut Aurora, nuntiatum est nobis, appropinquare Solis justitiae ortum ex ipsa. Eruntque affectus per colloquia cum isthac Aurora, ejusdem implorando favorem.

II punc. — Quod uti oriente Aurora, finitur nox, et incipit dies; ita cui oritur Mariae devotio, solet finiri culpae nox, et incipere gratiae dies.

III punc. — Quod sicut aviculae, quae noctis tempore obmutescebant, canere incipiunt cum Aurora; similiter animae, quae in moestitia, et silentio, Mariae

adventum expectabant, oriente illa, canunt laudes ipsius.

Feria IV. — *Praesentationis.*

I punc. — Considerare, quod reliquae creaturae in Lege Veteri praesentabantur a Deo, ut mancipia Domino suo : at Virgo praesentata est, ut Filia Patri Aeterno, ut Mater Filio, ut Sponsa Spiritui S. Colloquia erunt gratulationes, et teneritudines.

II punc. — Considerare, ut Puellula cum Spiritus fervore gradus Templi conscendit, difficultate omni contempta in obsequium Dei ; similiter et nos qualemcunquae debere difficultatem superare in eumdem finem.

III punc. — Considerare, ut occlusa ibi mansit ad vacandum Dei servitio in sua pueritia, et Angeli ministrarunt illi tanquam servi ; et qualiter in ejusmodi recollectione incubuit continuo exercitio virtutum.

Feria V. — *Annuntiationis.*

I punc. — Considerare ut, cum Virgo esset in Oratione suspensa, comparuit Archangelus in figura juvenis modestia et honestate insignis, demissis oculis et genibus flexis salutans per *Ave Maria*. Colligere, quod Oratio medium est ad omnia opera magna.

II punc. — Ut Virgo ex pura sui humilitate turbata est, suam recognoscendo indignitatem, et cognominando se ancillam. Colligere, quod quanto humiles supponuntur profundius, altius elevantur a Deo.

III punc. — Ut incarnatus est Dei Filius, facta illa Matre Dei, et Filio Dei Filio hominis, admirantibus Angelis, et in eximiam hominum utilitatem.

FERIA VI. — *Visitationis.*

I punc. — Considerare, ut Virgo conscia per revelationem conceptum esse Baptistam, propria e domo abiit ad extrahendum illum a culpa originali.

Colligere, quod qui multum Dei habet noscit proximo benefacere.

II punc. — Ut in alienam domum intravit, ad exercendas virtutes Humilitatis, Patientiae, Charitatis. Colligere, quod quanto quis habet magis Dei, plus et sibi, et aliis, virtutis habebit.

III punc. — Ut in suo accessu, et visitatione, Joannem sanctificavit, matrem illius reddidit Prophetissam; mille bonis totam affecit familiam; et Elisabethae ore benedicta, ipsa in Cantico suo haec omnia retulit in Deum.

SABBATO. — *Purificationis.*

I punc. — Considerare, ut Virgine ad Templum eunte, Infantem portando suo amplexu, et S. Josepho comite, Angeli per totum iter in castrorum acies ordinati, comitabantur Regem suum, et Reginam, admirabundi, et reverentes.

II punc. — Ut Simeon, et Anna prophetissa, ex revelatione speciali diluculo ea die in Templum conferendo se, Sacerdotes invitarunt; qui omnes ordinata processione, candelasque accensas manibus tenentes, occurrerunt suscepturi hospites adeo Sanctos. Ibi accepit in ulnis suis Simeon sanctum Infantem, prophetizavit Matri futuros dolores, quos illa ex tunc acceptavit ultronea voluntate.

III punc. — Ut Infans fuit praesentatus, et quinque siclis redemptus; Materque fuit caeremonia legali purificata, non ex necessitate, sed ex pietate. Colloquia hic erunt teneritudinis, amoris, et devotionis.

Dominica. — *Assumptionis.*

I punc. — Considerare, quod Virginis languor fuerit ex amore, desideriisque videndi Filium, absque alia febre doloreve, Colligere, quod qui flendo vivit, cantando ut cycnus moritur; et quod bona vita bonam affert mortem.

II punc. — Ut exeunte anima e corpore, in caelum conscendit, Filii, et Angelorum comitatu, et collocata fuit proxima Filio.

III punc. — Ut die tertia fuit anima reunita corpori, et resurgens deseruit sepulchrum, ordinataque processione Patriarcharum, et Prophetarum, una cum Seraphinis, Mater ad dexteram Filii procedebat, sedem repetitura, et coronam Regis Gloriae. Sint colloquia tenera, devota, fluentiaque amore.

Caput Decimum Tertium.

Aphorismi, qui pertinent ad proficientes in vita spirituali.

I. — Implere Status obligationem, est via recta tendere ad perfectionem.

II. — Qui orat, operatur: opera enim sunt vera signa amoris, et non sola verba oris.

III. — Multum dare temporis orationi, et deesse obligationi, plus habet illusionis, quam orationis.

IV. — Fraudibus obnoxiam reputa orationem, quae sine virtutem exercitio ambit perfectionem.

V. — Vis cujusque passionis venenum est orationis:

et quidem a vehemente multa turbatio nascitur in mente.

VI. — Ad vincendam quandoque inveteratam passionem, non sufficit armare rationem.

VII. — Ut amittatur oratio, perinde est bona, ac mala passio.

VIII. — Satis ab inordinata passione quis oneratur, etsi non alia ei crux imponatur.

IX. — Quanta fuerit mortificatio, tanta solet esse oratio.

X. — Ubi ambitio, et vanitas, haud bene cohaeret oratio, et sanctitas.

XI. — Qui multa praeditus est luce, multo Jesu gaudebit amore duce, nec abhorrebit ab illius cruce.

XII. — In vanum fugit crucem, qui serio cupit Jesum ducem.

XIII. — Deliciae terrestres favores impediunt coelestes.

XIV. — Anima, quae non frequenter se verrit scopa poenitentiae, cito jacturam orationis facit quin et conscientiae.

XV. — Proposita quae fecimus, si exequimur post orationem, demonstrant fuisse hanc fervidam, et puram ipsius intentionem.

XVI. — Taceat, fugiat, et quaerat in angulo recollectionem, qui bonam, ut debet, habere cupit orationem.

XVII. — Qui Deum lateri suo praesentem sectatur, modestus, honestus, .ac silens conversatur.

XVIII. — Ariditas cum perseverantia, et resignatione, solet esse praeludium pro deliciosissima oratione.

XIX. — Perseverantia in oratione simul cum ariditate, signum est roboris ingentis cum solida sanctitate.

XX. — Pretiose vestiri, lauteque tractari, denotant Religiosum animo gaudere saeculari.

XXI. — Cella plena curiositatum, et supellectilium pretiosarum, non est pauperum Religiosorum, sed indulgentiae, ac relaxationi gentium deditarum.

XXII. — Sanctitas sonora solèt esse periculosa, et si fuerit sine fundamento miraculosa, cum fundamento erit suspiciosa.

XXIII. — Dic mihi quocum conversaris, et dicam quis ipse sis : certe enim si agis de perfectione, ages etiam de oratione : si tamen agis de commoditatibus, similis eris caeteris saecularibus.

XXIV. — Accede frequenter cum venia, et recta dispositione ad Communionem, si cupis celeriter ad sublimem ascendere perfectionem.

XXV. — Repentina sanctitas, magis est devotio plerunque, quam charitas.

XXVI. — Qui aspere se tractat in poenitentia, et mortificatione, deliciose solet tractari a Deo in oratione.

XXVII. — Qui profectum in ratione desiderat mentali, totam aperiat animam suam Patri spirituali.

Caput Decimum Quartum.

Arcana vitae spiritualis, pertinentia ad proficientes.

I Interrogatio. — Quam ob causam aliqui sentiunt in oratione mentali insolitas in se immutationes corporeas? Aliqui ruborem induunt quasi purpurae : aliqui pallidi, vel decolorati visuntur : in aliquibus subsultat cor : alii sentiunt pulsationes in cerebro : itemque alii

veluti nervorum, et ossium dissolutionem, membrorumque fustuarium passi, lassati reperiuntur.

Responsio. — Anima, licet sit agens spirituale, dum nihilominus informat corpus, producit actus vitales, et spirituales intelligendi, et amandi, cum conversione ad phantasmata imaginationis, et cum dependentia ab organis materialibus cordis, et cerebri. Si extat operatio intellectualis vehemens, ac perseverans in cerebro, immutatur hoc organum, et fatigatur, indeque in pulsationes commovetur. Si amor divinus occupat cor, quod est ipsius organum, et actionem habet, aut passionem, suavem, aut perseverantem, tali occasione oppressum, subsilire solet cor. Alias vero amor divinus in corde, tanquam in organo suo, quamdam producit qualitatem, quae vocatur devotio sensibilis : et cum cor sit vitae fons, mediis spiritibus vitalibus hanc diffundit qualitatem per omnes corporis partes : si ad oculos appellit, inde fundit, liquefacit, et in lacrymas vicinam convertit humiditatem : cumque sit ea genus quoddam caloris spiritualis, si subjectatur in sanguine, illum inflammat, et accendit ; unde corpus ardet, ac febri quandoque tentatur, rubore interim faciem suffundente. At si humorem deprehendit melancholicum, illum alterat, et ad externam faciei superficiem effundit ; quo insigniter pallida, omnique fere colore destituta persona efficitur. Si eadem qualitas accurrit ad nervos, calore suo illos laxat, et emollit ; propter quod persona relinquitur quasi membrorum sine compage, ac repercussa. Si spiritus offendit animales, qui sunt instrumenta cerebri, per eos suum influxum quinque sensibus distribuentis, remissa manet, atque impedita sensatio. Si spiritus vitales praedictae qualitati occurrunt, discurrentes per arterias, corpus remanet sine pulsu, frigidum ac sine vitali motu in partibus exterioribus. Jam vero quaenam sit causa corporis in aera elevati,

suspendente illud ecstasi, nec sine luce aliquando, et splendore, dicetur inferius in Libro de Ecstasibus.

II Interr. — Cur mulieres, etiam minus sanctae quam homines, pluribus recreari solent favoribus et deliciis, quam homines magis sancti? minorque mulierum sanctitas plurium capax est raptuum, visionum, ac revelationum?

Resp. — Mulieres plerunque indole pollent molli, suavi, et amabili: quare sicut aqua se accommodat vasis figurae, sic spiritus deliciae accommodant se molli, et placidae indoli mulierum. Secundo, cum adeo sint debiles, opus habent hujusmodi rheda, lecticave favorum, pro acquirenda fortitudine per innumeros labores, qui occurrunt in vita spirituali. Tertio haud secus ac mulieres, ut ut pauperiores, plerunque amplius elegantiam, quam homines, in vestitu consectantur : ita in vita spiritus accidit quandoque, ut mulieres in id genus nitore praevaleant. Accedit, quod cum Deus adeo propensus sit, ad honore suos amicos afficiendos; cum aliunde mulieres sint Sacerdocii, praedicationis Apostolicae, aliorumque istiusmodi incapaces; honorare illas consuevit aliis illis favoribus visionum, raptuum, et revelationum.

III Interr. — Quî fit, ut aliqui, cum in altissima interius oratione sint positi, nulla de hoc exterius argumenta prae se ferunt?

Resp. — Oratio hujusmodi pendet a principio infuso; atque adeo parum, aut nihil ipsius participant sensus externi, cum in intellectu, et voluntate totum esse talis orationis maneat.

IV Interr. — Cur tam multi Sanctorum vivunt continue persecutionibus, morbis, vel salutis invaletudine gravati?

Resp. — Sanctitas est quaedam Primogenitura, vel Majoratus, quem Christus D. N. in sua Passione insti-

tuit, suaeque voluit Cruci alligari : propterea esse Sanctum, et esse Cruci affixum, perinde solet esse. Cum hoc vero discrimine, quod crucem invaletudinis reliquit Sanctis solitariis, crucem persequutionum reliquit sectatoribus vitae mistae : quamquam non desunt in his, et illis exceptiones suae; ac certe crux tentationum omnibus est communis promiscue.

V Interr. — Cur ex his, qui fuerunt in juventute sua poenitentes, et abstemii, aliqui evadunt in senectute acerbae indolis, gulosi, et impatientes?

Resp. — Acerbitas est tributum, quod natura pendit senectuti : gulositas est subsidium, quasi necessarium, solutum invaletudini : impatientia oritur ex imprudentia, ob quam senes cito ex actionibus asperantur juniorum.

VI Interr. — Cur qui mortificatione, ac poenitentia excellunt, deliciis spiritualibus in oratione mentali solent prae caeteris abundare?

Resp. — Mortificatio est ultima quaedam dispositio, cui (moraliter loquendo) alligavit Dominus Orationem, ut formam subsequentem : et ut majorem calorem (naturaliter loquendo) major sequitur ignis, ita majorem mortificationem (moraliter loquendo) plerunque major, et melior sequitur oratio mentalis.

VII Interr. — Quamobrem periculis solet scatere vita spiritualis, deficiente qui adjuvet, doceatque, Magistro?

Resp. — Quia vita spiritualis est quaedam sapientia practica, mille referta difficultatibus, dubiis, tentationibus, praeliis, mysteriis, ac sublimitatibus spiritualibus : ac siquidem artes mechanicae sine magistro male addiscuntur; haec mea fert opinio, ut perfectio Orationis, et vitae spiritualis, sine Magistro, vel sine miraculo, aegre comparari possit.

VIII Interr. — Cur qui parum fidunt Patri spiritua-

li, neque, ut par est, debitam illi dant rationem conscientiae, devia semita incedunt, et plus occultorum habent vitiorum, quam virtutum manifestarum?

Resp. — Talis potest esse Magister, ut ex pravo ipsius modo Discipulus in hanc trahatur vilitatem. At ubi ex ipso id nascitur Discipulo, prima quidem causa solet esse defectus humilitatis, dum plus aequo de se praesumit. Secunda solet esse, ut ex hoc signo colligitur, perversa quaedam malitia; nolentis scilicet detegere Medico suas infirmitates, ut ne cogatur subjicere se curationi. Tertia causa est, quod hi tales solent esse conscientiarum nullius pretii, et vix aut nihil curantium proficere in vita spirituali. Quarta demum (ut ex eo colligitur signo, quod daemonis astu Discipulus non se credat Patri spirituali) est, quod inimicus illum habeat bene dispositum ad scelus aliquod committendum : omnis namque artificiosa dissimulatio in vita spirituali multam denotat malitiam; siquidem virtus non artificiis, neque malitiis, sed plana indui amat simplicitate.

LIBER TERTIUS

De Derelictione

Caput Primum.

De praeviis ad Contemplationem dispositionibus.

Dispositio est qualitas quaedam, praeparans subjectum ad recipiendam, vel conservandam aliquam formam.

Inter dispositiones aliae sunt naturales, aliae morales. Octavus gradus caloris est dispositio, quae naturaliter introducit, conservatque formam ignis. Dispositionum moralium aliquae sunt de condigno, aliae de congruo. Gratia habitualis finalis est dispositio, cui debetur gloria. Actus contritionis supernaturalis, simul cum actuali gratia, ex qua procedit, est dispositio moralis de congruo in ordine ad primam gratiam habitualem justificantem ; quae non debetur homini contrito ex justitia, sed ex congruentia divinae misericordiae. Hac ratione Derelictio, aliaeque poenalitates, quas patitur anima quaedam sancta, erunt dispositiones de congruo, et non de condigno, in ordine ad Contemplationem.

Omnes gratiae gratis datae, uti sunt donum Prophetiae, donum patrandi miracula, et donum Contempla-

tionis, alterutro ex duplici modo possunt concedi. Alio modo per privilegium ; ac tum quidem, sive disposita sit anima, sive non, parum refert; siquidem hujusmodi tunc gratia magis a voluntate divina, quam ab humana dispositione dependet : coeterum dona hujus classis, aut non durant, aut recipienti periculum accersunt. Altero modo haec dona supernaturalia conceduntur, postquam scilicet anima est bene disposita longo virtutum exercitio, magna puritate vitae, intentionis, et morum, ac demum obtento jam heroico gradu gratiae habitualis, qui dicitur sanctitas, et amicitia Dei : atque in hujuscemodi animabus solet ista gratia contemplationis esse permanens, et secura. Et quemadmodum lux corporea melius resplendet in corporibus puris, diaphanis, et transparentibus, qualia sunt aer, aqua, vitrum, et crystallus : ita etiam Contemplatio, utpote quae ex parte lux est intellectualis, animam postulat purissimam in cogitationibus, verbis, desideriis, et intentione ; passiones petit vel mortuas, vel certe mortificatas; corpus petit martyrizatum jejuniis, et vigiliis, quandoque vero exhaustum infirmitatibus, ac morbis; petit item potentias sensitivas ab objectis suis avulsas, hoc est, ab omni superfluo alienas ; petit intellectum, discursibus curiosis vacuum; petit voluntatem, propriis commodis, et affectibus nudam; petit non mediocrem abnegationem cupiditatum suarum, et gustum, adhuc in rebus licitis, et spiritualibus; demum hominem petit tacitum, recollectum, poenitentem, abstinentem, ac pauperem. Post quas omnes dispositiones morales de congruo, quam optimo successu accedet Contemplatio, ac permanens, excellens, et sublimis esse consuevit.

Caput Secundum.

De derelictione in communi.

Vita spiritualis complectitur duas partes, quae inter se veluti corpus, et anima uniuntur. Quod in Oratione suave est cum omnibus favoribus, deliciis, teneritudinibus, ac dulcedinibus, est quasi anima. Mortificationis, et derelictionis amarities, quae quicquid est poenalitatum, poenitentiarum, tentationum, et persecutionum viri spiritualis, in se includit, tanquam corpus est. Et quemadmodum anima sola, vel corpus solum, si non sint inter se unita, non constituunt hominem : ita pariter sola Orationis dulcedo, et sola mortificationis amaritudo, nisi uniantur inter se, non reddunt virum spiritualem.

Incipientes quosdam reperire est, non multum virtutis, et sanctitatis habentes, qui ex privilegio in Oratione mentali, vel vocali, magna dulcedine gaudent, et suavitate ; nihilominus hi proprie viri spirituales non sunt. Remo addicti plures sustinent interiores, et exteriores aerumnas, quam vir spiritualissimus, ac reconditus : quia vero sic pati non est propter Deum, nec ad interius cum Deo commercium ordinatur, neque hi possunt viri spirituales appellari.

Hic ergo loquimur ea de tribulatione, cujus amarities ob divinam dispositionem ordine refertur intrinseco ad dulcedinem Contemplationis. Iste est ille vitae spiritualis tractus, in quo reperitur corpus doloribus fractum, infirmitatibus oppressum, vigiliis, jejuniis, poenitentiisque exinanitum : honor satis superque minuitur falsis testimoniis, calumniis, et opprobriis : volun-

tas propria, propriumque judicium, se se frangunt, et abnegant : spiritus est contribulatus, sub imaginatione interdum laesa, vel saltem inquieta, contumace, effraenique ; intellectus extat caecus, obscurus, et in violento statu : voluntas tepida, debilis, et insipida ; tentationes tunc temporis solent esse fortes, et vehementes : passiones feroces, indociles, et rebelles : Deus cum gratia sua se se occultare solet : natura ob experientiam suae debilitatis solet animum despondere : daemon ex malitia sua insolescit, deficit consilium, obscuratur ratio, amici deserunt, creaturae sunt taedio, Sacramenta non sunt consolationi, Oratio cum suis praeliis affligit, terrefacit, et torquet. Atque hunc in modum aliquas disponere Deus animas consuevit, quas habet ad supremum Contemplationis fastigium praedestinatas.

Porro siquidem Jesus Christus, Imperator exercitus virorum spiritualium, et cruci affixorum, dum ad extremum derelictionis deductus est (non eo, quo hic depinximus, modo, sed illo, cujus fuit capax sanctissima ipsius Humanitas), tanta dedit sentientis argumenta, qualia fuere, sudare sanguinem, et clamare ad suum aeternum Patrem rogans, cur in Cruce ipsum deseruisset ; neminem deterreat, dum quasdam viderit personas spirituales, post multos Orationis annos, in hac probatione collocatas, gemendo, plorandoque infantium more, mendicare solatium aliquale a creaturis : tales quippe non parum faciunt, si vitam trahunt, in eo agone constitutae. Valde sunt rari, qui ad faeces usque istum Calicem exhauriant : caeterum ego ipse nonnullos reperi, qui post hanc amarissimam dispositionem, ad id quod in Contemplatione purissimum, suavissimum, et dulcissimum est fruendum conscenderunt.

Caput Tertium.

De derelictione imaginationis, et aliarum potentiarum sensitivarum.

Pretiosus liquor, puta quem aquam dicunt Angelorum, immundo vasi non creditur, quin istud prius fortibus lixiviis, odorem saporemque primi liquoris penitus detergentibus, apte purificetur. Idem usu venit animabus, quibus liquorem pretiosum divinae Contemplationis vult Deus infundere ; potiori autem jure, si retroacto tempore vitam egerant peccatorum : hujusmodi animas Deus purgat lixivia forti derelictionis, quae per actiones quasdam sensitivas incipit, maximopere afflictas; et ante omnia in imaginatione, cujus derelictio consistit in poenalibus quibusdam tenebris, et obscuritatibus terrificis, per quas Deus facultatem daemoni facit animam affligendi, adeo ut omnia sua objecta inverso, ac sunt, ordine imaginetur.

Primum, etsi anima sit grata Deo, apprehendit tenaciter, quod ipsi est inimica. Secundum imaginatur sibi iratum, et ad vindictam accinctum Deum. Tertium sive orationem, sive animam, perditum iri autumat. Quartum sibi persuadet, jam non vitae in melius commutandae, nec forte salutis aeternae viam suppetere. Quintum solent tunc exurgere magno cum tumultu repraesentationes intricatae, et scrupuli contra Fidem, Spem, et Charitatem ; atque simul cum rebellante phantasia tumultuatur appetitus sensitivus, in totam animam inexplicabile derivando tormentum, et confusionem.

Ab imaginatione fluit anxius iste conflictus, instar

veneni dispersi per omnes potentias sensitivas externas; adeo ut et aspectus tunc rerum venustarum, jucundarumque, tristitiam, et scrupulum pariat. Haec patiens in lecto invenit vigilias, in cibo nauseam, in audiendo fastidium, in cognatis contemptum, in amicis dedignationem; ita ut nulla sit creatura, quae ad hanc aeque felicem, ac afflictam animam elaborandam, et purificandam non conducat.

Si eo in statu scrupuli, non minus intricati, quam rabidi, consurgant; videtur plane animam in quodam equuleo esse suspensam, cum dolore, amaritudineque adeo sensibili, ut inde omnibus corporis membris communicet se se, dolore plurimo ac vehementissimo et ossibus, et nervis, et musculis inhaerente; cujus rei aliquale remedium nec in Medicis, nec in medicinis, sed in defatigationis interioris lenimine consistit. Solatium ego aliquibus ex his personis adhibebam, clareque perspiciebam, pari passu cum interioris consolationis appulsu, exteriores etiam dolores corporis paulatim leniri, quousque tandem sanitas integra recuperaretur.

Caput Quartum.

De Derelictione, et purificatione intellectus, et voluntatis.

Imaginatio est janua, per quam a sensibus in intellectum, et voluntatem omne bonum, malumque ingreditur : et siquidem tantam in porta, et porticu animae afflictionem conspicimus, pronum est capere, quod

derelictio partis superioris multam in se includat amaritudinem, et afflictionem.

Ut ab intellectu initium sumam, dico potentiam istam, Solis instar eclipsi laborantis, obrui quadam ingenti obscuritate in lumine intellectuali : quo fit, ut habitus scientifici se abscondant, deficiat consolatio, discursus non concludat, prudentia non valeat, experientia sit in oblivione, ignorantia dominetur : dubia, suspiciones, et scrupuli, qui contra ipsam militant rationem, sunt quae occurrunt in uno quovis objecto. Et quemadmodum si quis in obscura quadam viperis et scorpionibus referta, specu reperitur, mortem ab illis inferendam esse non dubitans, summa cum afflictione, horrore, pavore, timore, ac tremore vitam agit, ita ut quicquid ibi moveatur, ipsi videatur vipera, vitam subito ereptura, et sic afflictissimus ibidem est supra modum : haud secus intellectus in hac derelictione se habet : utpote qui nullo interiori agitur motu, qui sibi ut vipera non sit, venenum illi morsu infusura.

Atque hinc prodit contra voluntatem machina, bellica validior : cum enim potentia haec sit virtutum moralium officina, et in qua, velut in aquarum receptaculo, Contemplationis suavitas congregatur; ita e contrario derelictionis tempore fornax est, in qua, quod in tam terrifica purificatione amarissimum est, cuditur; imo est veluti centrum in quo innumerabilium laborum, angustiarum, taediorum, obstinationum, furiarum, angustiarum, blasphemiarum contra Deum, ac Sanctos, lineae concurrunt. In hac cruce, et conflictu cum sit anima, sentit in semetipsa vagari, et effraeni licentia rebellare vitia, et passiones suas, ac si essent totidem immundae cloacae, spirantes toxicum in ipsam; bonum illi nauseam movet; malum eripit appetitum sensitivum, ac appetitum etiam rationalem

subjicere, subjugareque contendit; ratio vi sua deficit, liberum arbitrium comprimitur, gratia se recondit; ac denique totum animae fundum taedioso quodam deliquio solet abscondi, supraquam verbis dici queat, animam torquente.

Quod si huic derelictionis generi se adjungunt daemones quidam assistentes, qui corpus exterius circumcingunt, quales habuere S. Job, et S. Antonius Abbas; usque adeo excrescit anxius iste conflictus, ut nisi Deus miraculose tunc vitam conservaret, sufficeret ad illam eripiendam, ob insolitos timores, dolores, horrores, infirmitates, apparentias, repraesentationes horrificas, et abominandas, quas daemones assistentes agglomerant. Paucae sunt animae ad hoc extremum devenientes : verum istae singulariter sunt electae a Deo, ut maximam, et sublimem contemplationis suavitatem obtineant.

Caput Quintum.

De Derelictione spiritus : et quomodo substantia animae purificetur.

Dividitur homo in spiritum mentem et portionem inferiorem. Mens supponit pro tribus potentiis spiritualibus, Memoria, Intellectu, et Voluntate, in quibus Oratio Mentalis exercetur. Portio inferior sumitur pro omnibus potentiis sensitivis, internis, et externis. Spiritus supponit pro substantia spirituali animae : atque in hoc sensu Angeli boni, et mali, et animae separatae

vocantur spiritus. Cumque viderimus, quomodo purificentur mens, et portio inferior; videamus, quomodo spiritus purificetur.

Ista purificatio uno ex duobus modis conficitur, aut mediantibus potentiis, aut immediate, atque independenter ab illis. Et quamquam plures Philosophi dicant, animum operari vitaliter non posse, nisi mediantibus potentiis suis, ut instrumentis accidentalibus, realiter ab illa distinctis : nihilominus cum recipere, et pati sit facilius, quam operari; plerique concedunt, animam posse recipere immediate secundum substantiam suam, idque maxime, quando quod recipitur, descendit a Deo; prout videre est in gratia habituali, quae juxta communiorem Doctorum, in substantia animae recipitur immediate.

Duae potentiae intellectus, et voluntatis, eousque interdum amaritudine derelictionis redundant, ut (instar fontis, qui effluit a suis oris, et terram concumjacentem humectatam relinquit ab aqua, quam a fonte suscepit) evenire possit, quod dum ambae potentiae intellectus, et voluntatis, afflictione amaritudinis, quae est in derelictione, redundant, eadem secundum aliquem suum effectum, derivetur, et communicetur substantiae animae terribili, atque inexplicabili cum anxietate, tormento, et angustia cordis. Et perinde atque olla, cui nimium applicant ignem, fervendo exundat, et in ipsum ignem dispergit ex parte, quod continebat : ita pariter et fervent, et adeo redundant potentiae, ut qualitatem quamdam spiritualem, quae animam supra omnem modum excruciat, ex se ipsis emittant.

Aliquoties Deus facultatem facit diabolo, tanquam spiritui viribus naturae animam superanti, ut per qualitates secretas spirituales immutet, ac torqueat immediate substantiam animae, ad modum quo fit in igne

Purgatorii, qui cum sit materialis, elevatur ad producendam immediate qualitatem quamdam spiritualem in animae substantia immediate : neque id fidem excedit, cum et Sacramenta, licet instrumenta sint materialia, eleventur a Deo ad producendam gratiam habitualem, non in potentiis, sed immediate in animae substantia. Similiter daemon, permittente sibi Domino, poterit producere, ac imprimere qualitates quasdam spirituales, adeo subtiles, fortes, penetrantes, et summe afflictivas, in substantia animae, quae modo quodam inexplicabili causent ingentem dolorem, ac tormentum : differunt quidem ab Inferni poenis in loco, duratione, causaque demeritoria ; sed non in modo patiendi, ad tempus tamen.

Bonum quempiam Theologum, hominem limati judicii, clarique ingenii, et eximiae sanctitatis (postquam hanc Purgatorii speciem in semet expertus fuerat) dicentem audivi, aliam sibi non occurrere comparationem, ad explicandum hoc tormenti genus, quam cogitare hominem ex toto igneum, et in corpore inclusum, quod ex carne sensibilissima constaret : quantum foret corporale illud tormentum, ex se se patet. Hunc in modum Deus dat licentiam daemoni, qualitates istas secretas, et spirituales in substantiam animae immediate ingerendi, cum inexplicabili ejusdem animae tormento, angustia, et melancholia; nec sine gratia plane miraculosa ullus hominum poterit, vita comite, hoc derelictionis genus sufferre. Pauci ad hoc extremum perveniunt; sed felices illi, siquidem ipsis reservatur suo tempore, quod in contemplatione suavissimum est, atque supremum.

Caput Sextum.

De vitae mixtae Derelictione.

Derelictio, de qua hactenus, magis propria est animae solitudinem colentis, quam Contemplativorum vitae mixtae, qui tanquam viri Apostolici cooperantur Sanguini Christi, Fidem propagando, reformando mores, Sacramentorum frequentiam adhortando : istos enim solet Deus disponere aliter, ut ipsos pretiosi doni contemplationis capaces efficiat : eos nimirum, qui Deum relinquendo propter Deum, seu sapidum officium propter laboriosum reductionis, et conversionis animarum negotium, se se occupant scribendi Libros, praelegendo in Cathedris, disputando contra Haereticos, praedicando in compitis, visitando indefesse Hospitalia. Hi tales, licet interdum praefata etiam derelictione laborent, praecipuam vero dispositionem constitutam habent in persecutionibus, opprobriis, ignominiis, defatigatione in itineribus, periculis in terra, marique, falsis testimoniis, aemulationibus, contradictionibus. Hac via incessit D. Paulus, quem sequuti sunt Athanasius, Augustinus, Thomas, Bonaventura, Ignatius, et Xaverius, et illi similes, qui fuerunt anchorae Fidei, et firmae columnae Ecclesiae Catholicae.

Atque hi quidem, etsi non vivant vitam adeo austeram, et solitariam, neque adeo viles, ruptos, refectosque centones induant; cum aliena haec sint a suo instituto, et professione vitae; quamvis non tot, et tanta jejunia, vigiliae, ac poenitentiae sint illorum (eo quod opus habeant competentibus, et integris viribus ad exercendum apte, ut tenentur, labores ministeriorum

cum proximis, quae profitentur, ut sunt praelegere, concionari, peregrinari, etc.), quot, et quanta sunt Solitariorum; etsi aliquis defectuum moralium pulvis, ex continua cum peccatoribus communicatione, ut illos ad Deum perducant, ipsis adhaerescant, nec passiones habeant admodum mortificatas : iidem nihilominus tot, et tantas tolerant cruces, labores, defatigationes, opprobria, falsa testimonia, et alias corporis simul et animae afflictiones; ut contemplationem, quam Deus in praemium dat eximie Solitariis, post tractum aliquem derelictionis, praedictis communicare soleat, ut medicinam cordis concomitanter reficientem, quin et ut praemium, istis vitae mistae Ducibus strenuis : nec enim rationi est consentaneum, ut quod multo valet pretio, modico stet labore.

Caput Septimum.

Labores, quos sustinent, qui conversioni gentium incumbunt.

Multos annos in hujusmodi conversionis Gentium ministerio me occupatum tenuit obedientia, quadam in Provincia, nomine Cinaloa, ter centum Mexico leucis dissita, versus Septentrionem cum declinatione ad Occidentem, in elevatione Poli Arctici graduum viginti octo : atque adeo tanquam testis de visu potero verax dicere immensos labores corporis, et animae, quos a primis Apostolicis Viris, ad illas Gentes ingressis, exantlatos conspexi : ut interim taceam de his, qui

vacant culturae jam conversorum alia laborum specie, temperatiore quidem commoditatibus temporalibus, quarum vix aliquae obtingunt illis aliis Missionariis.

Regio illa cum sit Solibus nimium calens, omnibus diei noctisque horis iter faciebant, solos habendo in socios Barbaros nudos, feris circumdati, cubantes in desertis, ubi humus plerunque lecti loco erat, arboris repertae umbra pro casa, cibus ex modico tosti, coctive Indici frumenti, potus ex aqua occurrentis forte rivuli; vestes erant lacerae, pauperes, rudes, et refectae; panis, caro arietina, fructus, dulciaria, nec videbantur quidem usquam, nisi forsan recitata in libris; vita inter Magos semper exposita, cum per pactum, quod eos inter et daemonem intercedebat, bellum atrox nobis inferrent, praedicante in medio illorum daemone, habitum vestemque nostram induto, doctrinam ei, quam interdiu praedicabamus, ex diametro adversam. Duos Religiosos meos socios sagittis vulnerarunt : ego bis in sylvas evasi salvus, juvene mihi servo familiari ab illis occiso. Alios duos Religiosos loco vicinos (qui mihi in populatione quoad personas, quamvis non in situ, et loco successerunt) Martyrio affecerunt ii ipsi, quorum ego parvulos ablueram fonte Baptismi.

Illi Missionarii primi incedebant laceri, discerpti, famelici, tristes, lassi, persequutionem passi, tranantes flumina ingentia, et tumida, pedibus euntes per montes altitudine, asperitateque sublimes, per sylvas, valles, nemora, rupes, et praerupta ; saepe victu ad vitam humanam praeciso destituti, atque infirmitatibus pressi, carebant Medicis, medicinis, sine lenimine ullo, sine amico. Et in medio hujusmodi aerumnarum, enixe praestabatur Deo obsequium, Ethnicorumque non pauci convertebantur. Unus Sanctus Pater Santaren undecim se se instruit linguis, et quinquaginta aedificavit Ecclesias.

Quando semel in anno conveniebamus in Reductione primaria, ubi Superior residebat, ut baptizatorum, periculorum, et rerum magis notabilium, numerum, et rationem exponeremus; annus non abiit, dum et ego interfui, quo baptizatorum numerus esset infra millia quinquies, quin et ultra decem illorum millia numerus aliquibus annis ascendit : anno autem supra millesimum sexcentesimo vigesimo quarto : integra Provincia salutaribus undis ablutos numerabat ultra octoginta duo millia, qui subinde supra centum viginti millia excreverunt.

Novi quosdam istorum Missionariorum, quibus Deus altissimos infusae contemplationis gradus communicavit ; metebantque mox in angulo, quod in Missionibus illis tanta cum defatigatione seminaverant. Unus horum bene mihi notus, tres dies, totidemque noctes, ecstasi suspensus mansit; alii perinde mihi noti, quatuor ac sex horarum spatio in altissima contemplatione caelestibus deliciis fruebantur. Verum pauci sunt hi, et milites veterani : quod enim valde bonum est, pariter perquam modicum esse consuevit.

Caput Octavum.

Variae Crucium species, quas vitae mistae sectatores patiuntur.

Si hujusmodi personae sint Concionatores, vel Confessarii, proximi utilitatem insigniter promoventes, permittit Deus, aliqua illos imprudentia, vel nimia efficacia excedere, dicereque ad populum, vel priva-

tim aliquid pura ex intentione insinuare, quod honorem alicujus Magnatum laedat, unde ingens proferenti afflictio, et persecutio exurgat; vel quod labantur in aliquam propositionem male sonantem, aut dubiam in materia Fidei, et morum. Talia ipsis sunt amarae Crucis initia, se se contra eosdem erigentibus maledicorum, et inimicorum linguis.

Alias quandoque multorum, qui ejusdem sunt ministerii, sed modici spiritus, contra hos viros Apostolicos invidia conspirat, et videntes omnem ab his plausum ferri popularem, exeduntur aemuli, et sexcenta contra illos iniqua effutiunt : quae crux esse solet ponderis gravissimi, maxime tunc quando in materia puritatis, doctrinae, aut morum, falsa contra ipsos suscitant testimonia. Nulla major mortificatio, quam tacito silentio adeo immeritam ferre contradictionem.

Solet etiam crux esse admodum gravis, quando iidem vel in publico, vel in occulto, poenitentiis subsunt, suspendunturque a sacrificando, concionando, Confessiones audiendo, propter aliquod aut grave, aut leve delictum, quod vel non commiserunt, vel certe non cum ea intentione, circunstantiisve, quae aggravantur a suis adversariis. Quod si haec crux cum perseverantia suffertur, est inexplicabilis abundantia divinae suavitatis, quae illos mox in contemplatione reficiet.

Gravis item est crux, quando Deus permittit in aliquibus suis hujusmodi servis intra Communitatem aliquam, quod sint importune zelantes, accusatoresque indiscreti fratrum suorum, etiam dum non premuntur stricta obligatione; praesertim vero si culparum aliorum, quae ad ipsos non attinent, et in quibus forte ipsi quoque deficiunt, reformatores se constituant. Isti tales, si deliciosi sunt praetextu infirmitatum, si sunt importuni, asperique ingenii; a Superioribus excipientur plurima reprehensione, ab inferioribus frequenti

oblocutione, atque ob aemulis despectu. Nisi magna polleant conformitate cum voluntate Dei, gementes semper, et flentes, sub tam gravi cruce vitam agent.

Quando boni bonos persequuntur ex mala informatione, licet bona cum intentione (uti S. Epiphanius persequutus est S. Chrysostomum) haec talis bonorum persequutio solet esse crux insigniter gravis : cum enim sanctitas persecutoris dictis suis authoritatem conciliet, indefensa manet patientis innocentia.

Caput Nonum.

Ingentia, quae secum affert, emolumenta Derelictio.

Omne peccatum duas secum maculas affert, aliam culpae, alteram poenae. Macula culpae deletur in genere causae formalis infusione gratiae habitualis ; in genere autem causae dispositivae deletur actu vitali supernaturali et libero contritionis, vel charitatis ; in genere item causae instrumentalis efficientis deletur absolutione sacramentali.

Verum macula, vel reatus poenae plerumque manet, deleta licet culpa : uti videre est in praedone, vel homicida, quem Confessarius ad gradum patibuli absolvit a macula culpae, remanente reatu poenae, quae suspendio solvitur. In quem modum dico, in animabus manere reatus ad Purgatorii poenas, quantumvis deleta sit tota macula culpae. Vices igitur Purgatorii agit derelictio, delendo ab anima secretissimas poenarum etiam maculas, ipsamque capacissimam reddendo contempla-

tionis, quae animam requirit eximie puram, et a macula tam culpae, quam poenae alienam.

Deinde derelictio est quoddam acre lixivium, quod abolet superflua in potentiis spiritualibus, et sensitivis: isti enim defectus sive naturales, seu morales non bene conveniunt cum puritate defaecatissima contemplationis.

Tertio est quaedam purificatio virtutum omnium moralium, quae in hoc derelictionis velut auri purificatoris calice acuuntur, et exaltantur, roboreque, vigore, valore, perseverantiaque donantur, ne deficiant in laboriosiore parte suorum objectorum.

Quarto fit, quod homo interius derelictus, se veluti coactum experiatur ad exercendas virtutes exteriores verrendi, lavandi, legendi, etc. Quamquam autem veritas est, quod in sanctitate sublimius, et magis solidum est, consistere in virtutibus interioribus Fidei, Spei, et Charitatis : at non est homo ex asse spiritualis, qui virtutes exteriores, proximum aedificantes, non exercet.

Quinto fit, quod hic in tribulatione ad praxim adducatur, quod in Orationis suavitate speculative peractum est; unde viri spirituales evadunt Duces veterani, et strenui, practice cognoscendo suam propriam miseriam, et fragilitatem, atque per experientiam edocti fortitudinem gratiae, sine qua his in rebus vires nostrae naturales nihil proficiunt.

Demumque, cum vita spiritualis duabus partibus constet suavitate, scilicet Orationis, et amaritudine Mortificationis, earumque partium una quaelibet suas habeat virtutes, quae non exercentur ab altera : quemadmodum in oratione devota exercentur virtutes affectuosae, faciles, tenerae, et suaves; ita exercentur in Derelictione virtutes laboriosae, uti sunt patientia, obedientia, poenitentia, humilitas, paupertas, magna-

nimitas, animique fortitudo, in tolerando frequenter injurias, a ratione alienas, dura aliorum ingenia, proprias melancholias, falsa testimonia, contemptus ; quibus in virtutibus anima tanquam in palaestra laborum exercetur, per conflictus sic arduos mille victoriarum coronas promerendo.

Caput Decimum.

Aphorismi circa derelictionem et poenitentiam.

I. — Latebit hominem neque tentatum, neque tribulatum, quod in vita spirituali est magis subtile, ac delicatum.

II. — Derelictio est ut vasculum aurificae purificationis, quo fiat cor capacius omnis perfectionis.

III. — Dolores, fracta salus, et enormis tribulatio, sunt solidae dispositiones, quas sequitur contemplatio.

IV. — Querelas ferre, injurias, indiscretionem, compendium est, et quidem securum, ad perfectionem.

V. — In derelictione quanto major divina fuerit absentia, tanto suavior esse solet divina pariter praesentia.

VI. — Quanto plus anima derelicta patitur violentiae, tanto minus experitur pro tunc opem corporalis poenitentiae.

VII. — Poenitens, qui negligit mortificationes, etiamsi mortuam habeat carnem, vivas retinet passiones.

VIII. — Orationem utique poenitentia juvat corpora-

lis; juvat autem melius mortificatio, quae poenitentia est spiritualis.

IX. — Pati pro culpa proprium est sceleratorum ; at pati sine culpa proprium est hominum sanctorum.

X. — Qui patitur persecutionem, et derelictionem, ad consummatam pertinget perfectionem.

XI. — Cum exteriore poenitentia potest adesse incontinentia : ubi tamen adest desolatio, non potest non succedere consolatio.

XII. — Abnegatio propriae voluntatis signum est certissimum solidae sanctitatis.

XIII. — Qui in poenitentiis suam pro arbitrio exercent voluntatem, praeter vitia occulta, semper multam ostendunt vanitatem.

XIV. — Quid est esse poenitentem, non tamen obedientem, nisi virtutem tenere, sanctitatemque solum apparentem ?

XV. — Poenitentiae, quae ad propriam fiunt voluntatem, solent in anima ingerere quamdam secretam vanitatem.

XVI. — Poenitentiae, quae assumuntur cum subordinatione ad Patrem spiritualem, ultra purgare animas, habent conservare congrue orationem mentalem.

XVII. — Ex austeritate fastosa fit vanitas quaedam ambitiosa.

XVIII. — Qui cupit non aberrare in poenitentia corporali, resignet se in omnibus suo Patri spirituali.

XIX. — Persuasum homini sit, sine scopa poenitentiae raro mundiciem obtineri conscientiae.

XX. — De dicto ad factum magna est distantia, magis autem multum ab actione distat tolerantia.

XXI. — Qui multa facit bona, sed paucis vexatur malis, non evadet homo perfecte spiritualis.

XXII. — Oratio perseverans, quae ordinarie habet

comitem ariditatem, gignere solet in animabus solidam sanctitatem.

XXIII. — Lacrymae, suavitas, teneritudo, et devotio, nisi poenalitatibus socientur, aegre sunt ad perfectionem promotio.

XXIV. — Valde sapide est suavitas exquisita contemplationis ; utilissima vero amaritudo derelictionis.

Caput Undecimum.

Arcana Derelictionis.

I Interrogatio. — Quaenam est differentia inter obsessos, et possessos ?

Responsio. — Animae obsessae ordinarie vivunt in summa Derelictionis amaritie, et obscuritate ; cumque sint eximie sanctae, videntur peccatrices : qua de causa oportet notam habere differentiam, quae intercedit animas obsessas inter, et possessas. Possessi vocantur aenergumeni, qui daemonem intra corpus habent, magno cum illius intra ipsum dominio, et supra ipsum, et supra partem sensitivam animae : atque hi quidem solent esse peccatores, vel ad summum homines ordinariae virtutis. Obsessi solent esse animae sanctissimae, uti fuere S. Iob, et S. Antonius Abbas : qui diabolos habuerunt extra corpus sibi assistentes, torquentes corpus ex licentia speciali, et commissione Dei, animamque tribulantes, in ipsis mille causantes symptomata inopinata corporalia, et spiritualia. Pro possessis instituit Ecclesia Exorcismos ; qui contra daemones

obsidentes non valent : imo per illos irritantur, personasque obsessas excruciant, Sacras personae cujusdam obsessae Confessiones per aliquot excepi annos, tres sustinentis daemones obsidentes, qui per novem supra decem annos illam afflixerunt : octies eamdem Exorcismis adjurarunt, sed nequicquam : fuitque persona ista eximie sancta, decorata postmodum gratia miraculorum.

II Interr. — Unde est, quod aliquae personae spirituales, dum interius derelictione, tristitia, et afflictione afficiuntur, exterius terribiles sentiunt dolores in corpore?

Resp. — Anima tristis, vel jucunda, informat corpus cum humoribus, in eoque sensitivas producit qualitates, afflictioni correspondentes interiori, et spirituali ; quae instar veneni secreti diffunduntur per corpus, nervos, et arterias, intensissimos causando dolores : nec illorum curatio a Medicis pendet, vel a medicinis. Dixi jam, me solatium adhibente aliquibus talium personarum, aequo passu ac anima solatio respirabat, dolores pedetentim decrevisse, usque ad integram sanitatem.

III Interr. — Quare animae, quae ad contemplationem sunt praedestinatae, plerumque in se derelictionem modo aliquo experiuntur?

Resp. — Nulla formarum recipitur, aut conservatur bene in aliquo subjecto, sine debita, et praevia dispositione ; cumque derelictio sit amaritudo quaedam spiritualis, providit Deus, ut esset ultima dispositio ad hanc caelestem formam contemplationis, quae tanta sublimitate unit creaturam suo Creatori. Ea propter assero, rarissimum esse contemplativum affluentem deliciis, qui transitum non fecerit per aliquem tramitem derelictionis : et si quando sine hac praevia dispositione supervenit contemplatio, erit exceptio regulae generalis, vel certe diutina esse non solet.

IV Interr. — Quantum solet durare derelictio?

Resp. — Tempore caret limitato. Personas agnovi per quatuordecim, quindecim, et viginti respective annos in derelictione defixas; quae tandem decoratae sunt altissimo dono contemplationis.

V Interr. — Interveniuntne peccata, saltem venialia, in terribilibus illis certaminibus, quae ab animabus derelictis sustinentur; maxime in blasphemiis, desperationibus, et tentationibus contra Castitatem?

Resp. — Non potest ad hoc quaesitum absolutum dari responsum; eo quod non omnes personae derelictae sint aequales viribus, sanctitate, judicio, et prudentia. Praesumo nihilominus de personis eximie sanctis non labi, nec consentire, nec peccare. 1. quia tunc ratio est caeca, obscura, oppressa, et violentiam patiens a passione praedominante; deficiente autem ratione, deficit libertas. 2. quia in hujusmodi certaminibus Deus non intendit suorum filiorum lapsus, sed coronas. 3. ipsa conscientia est, quae plerunque huic interrogationi debet respondere.

VI Interr. — Sintne proximae ad heroicum sanctitatis gradum dispositiones actus heroici poenales: uti sunt loricas immediate carni haerentes induere: catenis, et clavis se praecingere: jejunare multos dies, hebdomadas, et menses continuos: flagellare se catenis, clavibus, sentibus, urticis: ustulare aliquam corporis partem?

Resp. — 1. Haec, et talia magis sunt admiratione digna, quam imitatione. 2. fieri debent divino potius consilio, quam humano. 3. paucae illae animae, quas per hanc viam Deus adducit, evasere admodum sanctae. Unde dico, hujusmodi actus heroicos poenales dispositionem esse plerumque ultimam, et proximam ad quamdam egregiam sanctitatem.

VII Interr. — Quisnam sanctimonia, et robore in via

spiritualis eminet magis : qui multa pro Deo bona operatur, vel multa mala poenalia sustinet pro ipso ?

Resp. — Quantus est tractus a dicto ad factum, tantus est a facere ad pati : et magis est arduum vel semel vapulare manu aliena, quam bis decies manu propria. Propterea signum plerunque est magis solidae sanctitatis pati, quam agere. Caeterum plus interdum valet agere quam pati : quando scilicet invenitur in illo, quam in isto, plus charitatis. Atque adeo in re ista nulla est regula certa, et sunt exaggerationes, quae quandoque proferuntur a viris spiritualibus.

LIBER QUARTUS

De Contemplatione

Caput Primum.

Quid sit Contemplatio ? et quomodo dividatur? ipsius passiones, species, et effectus.

Contemplatio est lux quaedam, atque ardor spiritualis, quae duo addita habitibus Theologicis, Fidei, et Charitatis, animam uniunt cum Deo, tanquam cum suo primo principio, objecto, et ultimo fine, per actus vitales, et supernaturales vivae Fidei, et Charitatis ardentis. Gratia actualis, quae additur habitui Fidei, est quaedam lux aliquantum clara, calorifica, et splendens, quae repraesentat animae res divinas revelatas modo quodam sublimi, plerumque immutans animam, et valde inflammans voluntatem. Gratia actualis contemplativa, quae additur habitui Charitatis, est novus quidam ardor, et calor spiritualis, qui solet incendere, calefacere, atque inflammare voluntatem.

Fides sine praedicta luce calorifica erit Fides Theologica, sed non erit Fides contemplativa. Charitas sine ardore praedicto, et calore spirituali, erit amor divinus Theologicus, sed non erit amor divinus contemplativus.

Fides et Charitas, inter se unitae cum illa lucis et caloris actuali gratia, sunt principium adaequatum et

totale actus contemplationis ; quae consistit in actu vitali, et supernaturali, unitivo Fidei vivae, ardentisque Charitatis. Fides cum luce illa comite, utpote actus intellectus, nobilior est in esse physico, et tanquam Rex.

Charitas contemplativa, et illi ardori associata, eo quod principium meriti, et in esse morali nobilior, Regina est omnium virtutum reliquarum. Ex isto Fidei vivae cum accensa Charitate conjugio, interveniente actuali gratia contemplationis, nascitur spes, ceu filius primogenitus, qui magna cum certitudine sperat haereditatem gloriae, tanquam bonum Theologicum arduum.

Atque adeo Spes non est pars essentialis, nec intrinseca Contemplationis : sed pars integralis, quae integrat, perficitque illam, sed ipsam non componit.

Objectum primarium Contemplationis est Essentia divina, cum Attributis, et Mysteriis suis : et objectum secundarium sunt res divinae revelatae, quae ad objectum primarium reducuntur.

Contemplatio est perfectio intellectus, et voluntatis : partimque subjicitur in intellectu, partim in voluntate. Quod intellectuale est Contemplationis, vocatur Fides viva, illustratio divina, donum Intellectus, et Sapientia practica. Pars affectiva subjicitur in voluntate : ac vocatur Charitas incensa, Amor Seraphicus, et Unio sublimata.

Dividitur Contemplatio, ceu genus supremum, in duo genera subalterna, quae sunt Contemplatio Cherubica et Seraphica. Cherubica est, in qua, licet duo actus partiales intellectus, et voluntatis reperiantur, eminet magis quod est intellectuale. Seraphica est, in qua magis excellit, et emicat affectivum voluntatis, quam lux intellectus.

Contemplatio Cherubica dividitur in alias species

infimas intellectuales, uti sunt contemplatio mystica Sanctissimae Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae, Attributorum, symbolicae locutiones interiores, et silentium : in hae sunt Contemplationes, in quibus intellectuale magis splendet.

Contemplatio item seraphica dividitur in contemplationem igneam, flammeam, vulnerantem, activam, passivam, claram, obscuram, et mysticam transformationem : in quibus affectivum, et fervidum divini amoris manifestius apparet.

Passiones nobilissimae hujus virtutis sunt admiratio, gaudium, pax, fruitio, delectatio, suspensio, et aliae similes passiones propriae, quas experiuntur in se animae contemplativae. Effectus sunt altissimi gratiae habitualis gradus, et vocatur sanctitas, ferventissimus Dei amor, dulcissima quaedam praesentia ipsius, altissimum moralium virtutum exercitium ; sine quibus virtutibus contemplatio est modica, et debilis, vel cito amittitur.

Caput Secundum.

De effectibus, quos causat contemplatio in virtutibus Theologicis : et quomodo amorem Dei extollit.

Virtutes Theologicae, quales sunt Fides, Spes, et Charitas, se habent ut aurum purissimum, sed non elaboratum, sufficitque ad animam locupletandam : quando tamen ipsis supervenit cultura, caelatura, gemmeusque ornatus contemplationis, majori pretio, aestimatione, ac sublimitate illa donantur.

Utque initium a Charitate, vel amore Dei ducamus, ea quidem est virtus vel se sola sufficiens ad divitem reddendam animam : dum vero accedit ipsi fervor, ardorque proprius contemplationis, novum esse, novum splendorem, novamque recipit dignitatem. Ad modum quo si hominem privatum efferrent in Regem, patet a dignitate Regali novum ipsi superventurum esse morale, ac novam sublimitatem. Similiter accidit Charitati, quae ardore illo contemplationis suscepto, novam obtinet qualitatem vere regiam. Quemadmodum item pulvis pyrius a depuratione habet sic sublimari, ut vel minima scintilla ipsum accendat subito, et in flammam ignis convertat : ita in aliquibus Contemplativis Charitas ita est depurata, ut vel minima de Deo cogitatio ipsos accendat, et inflammet ; vel etiam auscultato nomine Gloriae, Amoris divini, Paradisi, Dei, accenduntur illico interius, inflammantur, et ardent amore contemplativo ; nec est creatura, in qua motivum ad Deum conscendendi non reperiant.

Ergo qualis differentia est auri ab argento, et auri rudis ab auro affabre distincto gemmis ; talis ea est, quae intervenit amorem inter divinum pure Theologicum, et amorem contemplativum. Actus simplices Charitatis communes sunt et servis, et filiis Dei : actus amoris divini ferventis, et contemplativi, sunt proprii filiorum, qui digni sunt majori teneritudine, ac magis deliciose redamari.

Charitas unit animam cum Deo, ut cum objecto suo, et ultimo fine : charitas contemplativa unit animam cum Deo, ut cum suo primo principio, simul ac fine ultimo, et objecto. Demum Charitas contemplativa gaudet omnibus omnino gratiis, praerogativis, et excellentiis Theologicae Charitatis : insuperque addit unionem specialem ex Fide viva, cum qua et ardorem superaddit, fervorem, et speciale genus unionis, quae suo loco declarabitur.

Caput Tertium.

Quomodo Fides, et Spes, a Contemplatione perficiantur.

Fides obscura lux est, quam de Deo habemus, ac de divinis rebus revelatis : et assimilari potest diei suboscuro, et nubilo, quando Sol sub nubibus latet: quod si tunc aliqua nubium scissura Solem apertius emicare contingat, clarior absdubio, jucundiorque dies elucescet; quamquam una, et altera lux, major et minor, obscurior et dilucida, deriventur a Sole uno et eodem, eumdemque diem conficiant. Idem prorsus evenit in luce Fidei, et luce Contemplationis : lux fidei est tanquam diei subobscuri, et nubili : lux, quae supervenit, Contemplationis, est tanquam radius Solis effulgentis ; utraque vero lux est a Deo derivata, et erga res divinas revelatas, in recto, vel in obliquo.

Et quemadmodum radio Solis ejaculato per fenestram, illius radii fulgore detegimus pulvisculos, et atomos in aere volitantes, quae nostrum antea visum effugiebant, etsi lux diei non deficeret : similiter in contemplatione contingit, cujus nimirum lux est radius a Sole justitiae refulgens, in quo radio, ipsiusque fulgore, non sine ingenti admiratione divinas videmus perfectiones, et imperfectiones humanas, quae in absentia lucis hujusmodi nos latebant. Quemadmodum praeterea, quando lucerna emungitur, quanto plus adimitur ellychni, tanto plus lucis accrescit, et claritatis : ita quo plus materialitatis, et obscuritatis, per contemplationem minuitur a Fide, nihilominus vivacitatis, claritatis, et

splendoris supervenit. Hi sunt eximii valoris gradus, quos lux contemplativa confert Fidei obscurae.

Videamus jam, quomodo Spem, quae virtus etiam est Theologica, Contemplatio perficiat. Ex unione, qua iter se nectuntur in contemplatione Fides et Charitas, oritur ut Princeps primogenitus, et haeres gloriae, Spes contemplativa, quae magnam sortitur securitatem rei, quam sperat : et quo plus excrescit in contemplatione securitas haec, et fiducia, tanto magis decrescit timor, qui spem Theologicam frequenter comitatur. Spes ut objectum sui primarium respicit Gloriam, quae bonum est arduum, et quam sperat cum aliquo timore; ut objectumque secundarium respicit res divinas, quas petit, et sperat in orationibus suis, in quantum res istiusmodi conferunt ad Gloriam.

Contemplativus autem potest ad tantam fiduciam, et securitatem amantem erga Deum efferri, ut saepenumero impotens sit dubitare de assecutione rei, quam petit; praesentit quippe interius quamdam amantem securitatem, quae omnem expellit e corde dubitationem, et timorem de illo, quod petit a Deo. Agnovi ego personam contemplativam, quae se se accusabat, propterea quod timere non poterat Deum, ab amoris excessum erga ipsum. Hoc de timore servili capiendum : timor enim reverentialis, ut filii, permanet semper.

Caput Quartum.

De amore proximi, in quantum est effectus contemplationis.

Uno eodemque habitu Charitatis Theologalis amamus Deum, et proximum : Deum ut objectum prima-

rium, proximum, ut objectum secundarium, et rem, quae ad Deum attinet, pertinetque. Amor contemplativus eo usque proximi extollit amorem, ut contemplativos viderim amore tenero, et compassivo defluentes ad primum intuitum miseriarum, lapsuum, fragilitatum, et indigentiarum sui proximi. Hoc ex amore oritur in contemplativis continuus quidam sensus et afflictio a conspectu peccatorum, et ultimae perditionis hominum, unde se obstrictos censent ad jugiter orandum pro his, qui jacent in peccato mortali, pro conversione Gentium, pro Haereticorum, et Schismaticorum reductione, ac pro Haeresum extirpatione. Item ex eodem amore nascitur quaedam tenerrima compassio de Animabus Purgatorii, offerendo pro illis Sacrificia, Orationes, Indulgentias, poenitentiasque per modum suffragii. Ex eodem insuper amore procedit amor eximius exercendi opera misericordiae, omni qua possunt ratione alienas miserias sublevando : si vero id opere nequeant praestare, nimirum consolando tristes, docendo ignorantes, invisendo aegrotos, et carcere detentos ; id ipsum faciunt desiderio, et affectu, impensissime pro illis preces fundendo ad Deum.

Huic amori proximi superaccrescit amor inimicorum, qui est sublimior gradus, ad quem solent conscendere contemplativi perfecti : cum enim plerumque persecutionibus, falsis testimoniis, fabulationibus malignis, oppositionibus, contradictionibus, et aemulationibus onusti vitam agant, nunquam inimicis carent, a quibus graventur : animadvertique, viros contemplatione insignes, pollere amore mitissimo erga inimicos, bene de ipsis loqui, eosque in suis precibus Deo enixe commendare.

Hi sunt effectus, quos contemplatio causat in animabus : alia item arcana sunt accidentia, quae mox explicabuntur.

Caput Quintum.

De luce affectiva, quae nascitur ab amore incenso.

Lux est qualitas intentionalis, quae reddit objectum visibile, et cognoscibile. Dividitur in lucem materialem, et spiritualem : materialis nascitur a Sole, vel ab elemento ignis : spiritualis nascitur a Deo, rebusque divinis. Lux spiritualis dividitur in lucem intellectualem, et affectivam : Lux intellectualis est quaedam species impressa, vel infusa, vel acquisita, quae intellectui affixa tanquam proprio subjecto, ipsum elevat, et illuminat ; utque comprincipium efficiens, adjuvans eumdem, et repraesentans objectum suum, adjuvat illum, ut eliciat actum vitalem intelligendi objectum, et veritatem ipsi applicatam, et propositam. Lux affectiva est aliud genus speciei intentionalis, quae transiliens per flammam ignis Charitatis, in voluntate accensi, salit exinde ad intellectum, quem illuminat simul et calefacit, vivificat, et repraesentat ipsi objectum amatum novo cum splendore, ac eminentia, ac novis cum qualitatibus, et perfectionibus. Quod si species intellectualis repraesentat intellectui objecta absentia, occulta, et futura, et secreta, vocatur lux Prophetica : si repraesentat ipsi res divinas revelatas cum aliqua obscuritate, dicetur lux Fidei.

Porro si hujusmodi species cum vivacitate, ac nova claritate res divinas revelatas repraesentat, lux appellabitur Contemplationis, vel illustrationis divinae. Si velociter juxta, vivaciterque detegit objecta supernaturalia, sed illico abit, radius lucis dicetur, vel fulgur

divinum. Si detegat coelestia, et arcana divina, modo naturae nostrae indebito, Visio dicetur, vel Revelatio. Si vero esset forte aliqua species impressa, quae repraesentaret clare divinam Essentiam, vocabitur lux, aut lumen Gloriae. Hinc lumini Gloriae conveniunt omnes proprietates, muneraque speciei impressae, quae sunt repraesentare, elevare, adjuvare, atque unire Beati potentiam cum Deo, qui est a potentia possessus, et intime ipsi unitus ; non ut objectum, sed ut ultimus finis, ac praemium possessum : atque adeo poterit bene appellari species intuitiva Dei, cum in viatoribus detur species Dei abstractiva.

Lux affectiva est etiam species, quae nascitur ab objecto, ut amato : idque ita, ut nascente hac specie ab objecto, et transitum faciente per amorem accensum voluntatis, amor communicet novum esse, novumque repraesentandi modum eidem speciei. Juvat id exponere in conspiciliis crystallinis hominis senis, qui visum habens aetate lassum, ac deficientem, difficile objecta perspicit ; si vero auxilium petat a conspiciliis suo in videndo defectui proportionatis, species visivae per crystallum transmissae dilatantur, ac velut intumescunt, ita ut objecta in se ipsis exigua, et obscura, clara, et grandia sibi reddantur. Haud aliter contingit animae amanti Deum, quae medio tubo optico affectionis, et amoris, perspicit in Amato suo mille pulchritudines, perfectiones, bonitates, mysteria, et arcana, veritates, et magnitudines, quae priusquam sic amaret, sibi erant incognita ; vel si utcunque agnoscebat, certe non ut ea nunc recognoscit. Paupertatem videns Amati sui in carne, si cum amore intueatur, opulentia sibi videtur : defatigatio, pro amato suscepta, quies sibi videtur : jejunium videtur sibi satietas : lacera, refecta, vilisque vestis, si cum amore divino videatur, tela pretiosa videtur : et quamquam Amor vulgo depingatur

ut caecus, et iste sit re ipsa talis ad commoditates proprias, et sibi ; at ut videat, quae ad Amatum spectant, centoculus est Argos.

Ea propter Theologi Mystici, utpote Deum tam studiose amantes, cognoscunt melius, et majori cum vivacitate res divinas, quam Theologi Scholastici, quibus sola intellectualis lux, et non affectiva in usu est : atque in una orationis mentalis hora, si est Contemplationis exercitae Fide viva, et amore accenso erga mysterium SS. Trinitatis, plures recognoscuntur perfectiones, subtilitates, veritates, et arcana hujus Mysterii, quam viginti horarum spatio per studium speculativum.

Est ergo lux affectiva quasi tubus opticus in sphaera supernaturali, et divina : est sublimis exornatio Fidei, cujus vivaciorem reddit, et elatiorem cognitionem : est lux, quae non modo ut splendor clarus illuminat intellectum, actusque perficit, et elevat cognoscitivos, verum etiam ingentem secum affert calorem, qui totam succendit animam, pluresque detegit bonitates, et veritates, quas ante illud instans non assequebatur. Pauci sunt qui frequenter ea donantur luce ; at ipsi felices sunt, et intime amici Dei ; sunt columnae communitatum, ubi degunt ; suum cuique rei locum dare norunt, dum interius cum Deo valde divini, exterius cum hominibus satis sunt humani, non deficientes in exteriori obligatione interioris devotionis causa.

Caput Sextum.

Quomodo Humanitas Christi sit janua contemplationis.

Praecipuos inter effectus, quos in anima producit

contemplatio, unus est ingerere ipsi quemdam amorem studiosum, et deliciosam praesentiam erga Humanitatem Christi Domini Nostri : quippe cum plerumque per Humanitatem, ceu per januam necessariam, ingredi, ascendere, descendereque oporteat contemplationem Divinitatis, divinorumque attributorum, conciliat sibi anima sic tenerum, et deliciis fluentem istius sacratissimae Humanitatis amorem, ut in ictu oculi in eamdem conjecti, quasi vulneratam se inveniat, captamque ipsius aspectu, familiaritate, et communicatione. O quam velim omnes contemplativos affectu singularissimo captos sacratissimae hujus Humanitatis, et ut sibi persuasum habeant, quicquid donorum per istam non advenit januam, suspectum esse, vel sine duratione : quoniam Humanitas est janua, qua est eundum ad Divinitatem, et qui non ingreditur per illam, tanquam latro aggreditur furtive. Non ignoro aliquos esse tractus in contemplatione, ubi anima Divinitati penitus immersa, Humanitatis pro tunc memoriam perdit : at hoc est exceptio a regula generali : ut plurimum vero, quemadmodum in contemplatione clara Essentiae divinae, qua Beati gaudent in coelo, illius sanctissimae Humanitatis visio non impedit, sed fovet, extollitque beatam visionem ; ita et accidit contemplativis viatoribus, qui sic meditantur, et considerant Humanitatem sanctissimam, et ipsius vitam, mortem, ac virtutes, ut haec visio contemplationem Divinitatis non impediat, sed adjumento potius sit, et augmento. Proh Superi ! quam turpiter aliqui Spirituales decipiuntur, qui tenent, non esse conjiciendum intuitum animae in hanc sanctissimam Humanitatem ; quin potius avertendum esse talem intuitum, quo puriores a speciebus materialibus Divinitatem cum suis attributis contemplari possimus. Ac primum quidem, ut opinor, veram hi non experiuntur in se con-

templationem, cujus objectum Deus est, et res etiam divinae : cumque hic in terra nihil divinius sit, quam iste Deus-homo, falluntur hujuscemodi, si putant Humanitatem non esse contemplationis objectum, saltem secundarium. Secundo hi tales non dubitant praescribere regulas pro acquirenda quadam gratia gratis data, ut est contemplatio ; unde possent regulas statuere pari ratione, ad habendum donum patrandi miracula : quod tamen est absonum, cum hujusmodi dona, potius a divina liberalitate, quam ab humana dispositione dependeant. Tertio nunquam inveni animam sanctam contemplativam (cum plurium hujusmodi consuetudinem habuerim), cujus modus orandi, et contemplandi ordinarius non sit cogitando Vitam, Passionem, Virtutes, Mysteria, et Exempla hujus Hominis-Dei ; atque hinc ascendunt ad Divinitatem, et divinas res contemplandas. Itaque ordinarium sit Humanitas, extraordinarium Divinitas. Quotidianum sit meditari Passionem, et mortem Christi Domini Nostri ; ac non raro Novissima, et peccata : interdum autem, et paucos electos, elevat Deus per contemplationem. Quod acquiritur meditatione, laboriosum quidem est, sed pariter utile : quod autem infunditur per contemplationem, delectabile magis, quam utile esse consuevit, quantum ad meritum. Igitur omnes ad sanctissimam Humanitatem confugiant : et inde suo tempore, si tamen expediat, Deus ad contemplandam illos Divinitatem sublimabit.

Caput Septimum.

De praesentia Dei.

Contemplatio admirabiles causat effectus in anima-

bus contemplativis : et quamquam praesentia Dei sit quaedam ex gratiis gratis datis, quae interdum in aliquibus, licet non in omnibus, cujusvis conditionis spiritualibus personis invenitur ; nihilominus majori cum vivacitatè, facilitate, et perseverantia reperitur in contemplativis. Consistit in repraesentatione quadam suavi, et amatoria Dei ; cum cujus praesentia imaginaria, vel intellectuali procedimus modesti, honesti, et taciti, cum facili ad interiora recessu ; idque solet esse cum devotione, ac teneritudine, quae in omnibus nostris actionibus externis nos valde circunspectos reddit.

Dividitur in praesentiam intellectualem, et imaginariam, acquisitam, et infusam. Intellectualis est valde interior, et conjungitur frequenter cum aliquo passu contemplationis. Imaginaria est principium plurimarum jaculatoriarum, colloquiorum, et locutionum internarum, quae pariter imaginariae sint, et sensitivae internae solum, vel etiam externae. Praesentia prior, et intellectualis est propria contemplativorum. Posterior, et imaginaria, est communis omnibus statibus (etsi non in omnibus reperiatur spiritualibus personis), tunc praecipue cum aridae sunt, tristes, ac morosae : quo tempore praesentia Dei est interdum via compunctionis, et quaerelarum interiorum, partim suae correspondentiae pravae, partim absentiae Dilecti sui, quamquam bene tunc eum praesentem patiens habeat.

Duplex ista praesentia subdividitur in praesentiam Divinitatis, et Humanitatis. Divinitatis praesentia est plerunque per speciem infusam, affertque nobis submissionem, admirationem, pavorem suavem, soletque initium esse passuum altissimorum contemplationis. Praesentia Humanitatis ut plurimum solet esse imaginaria, et solet principium esse dulcedinis exquisitae, lacrymarum, et teneritudinis ; cor dilatat, sensus com-

ponit, affectus acuit, regit, corrigitque peculiari vigilantia ordinarias actiones, et elevat eximie exercitium virtutum moralium : praecipue si tunc temporis figuratur nobis Christus Jesus ut juvenis elegans, qui comitem se praestat vultu ridente, vel ut redux a mortuis, qui nos laetitia perfundit, vel ut recens natus infantulus, qui teneritudine nos afficit. Hoc praesentiae genus est animarum, teneritudine affectarum, et devotione, quas Deus specialiter vult deliciari.

Si tamen Christus figuretur nobis Cruce onustus, fune ad collum, vel saxo insidens manu genae admota ; vel ut frequentius fit, flagellis caesus ad columnam, cruci affixus, aliisve modis commiserationem cientibus ; plerunque tales praesentiae signa sunt cruces, defatigationes, ariditates, tribulationesve alias, quae ingruent, portendentia. Gratia hujusmodi parum in incipientibus durat, sed dulcedine afficit multa : in proficientibus durat magis, sed minus est deliciosa, et animam in ordine ad exercitium virtutum moralium insigniter corroborat : in privilegiatis autem, et contemplativis caret puncto fixo ; utpote gratia gratis data, quae magis a liberalitate divina, quam ab humana dispositione dependet.

Caput Octavum.

Varii contemplationis effectus.

Sunt in scientiis in humanis principia sua universalia, unde conclusiones eliciuntur necessariae, ac evidentes : quales est, duo et tria sunt quinque : unde cum non est reperibile aliud quam duo et tria, uti saepe ad oculum patet; colligitur evidenter, non esse ibi

aliud, quam quinque, nec plus nec minus. At hujusmodi evidentes, et necessariae consequentiae non eliciuntur in contemplatione, quantum ad favores, dulcedines, lacrymas, visiones, ecstases ; eo quod hi favores, nec in materia, nec in forma, necessariam habent connexionem cum contemplatione : atque adeo sunt contemplatio, et contemplativi, qui ne unam quidem lacrymam habent, neque quid visio sit, quid raptus, experimento norunt : et e converso non desunt, qui cum sola oratione vocali, vel meditatione ordinaria (ut est meditatio de Novissimis) lacrymis affluunt, et teneritudinibus, quin et visionibus, et revelationibus. Quapropter verus, et humilis contemplativus, majorem virtutum, quam favorum debet rationem habere; plurisque debet aestimare, resistendo perferre unam, duasve horas magnarum ariditatum, derelictionum, et tentationum, quam per duas item horas lacrymis, et dulcedinum copia donatum fuisse.

Vidi etiam personas, lacrymis, devotione, aliisque favoribus recreatas a Deo, frequenter tamen lapsas in defectus ; qui plerunque intra latitudinem vitiorum se se continentes ad esse morale peccati non transeunt. Hi absoluta hora tenerrimae, deliciosae, lacrymisque madidae orationis mentalis, eo ipso die in impatientias labuntur, a cholera se abripi sinunt, de obedientia sunt parum exacti, a cupediorum appetitu vincuntur ; cum ad orationem tristes, et animo, ac veluti fiducia destituti redeunt, si plus deliciarum, et teneritudinis reperiunt, et sint quos esse oportet, confunduntur, et magis se his favoribus humiliant ; deserviunt quippe illi Jebusaei domestici defectuum pro saburra, et aequilibrio ponderis, ne intumescant favoribus, a Deo susceptis adeo liberaliter ; et si defectus isti exteriores non essent, ingruerent interius vanitas, superbia, complacentia, aestimatio propria ; quae omnia manus Deo

ligant, ne suis creaturis communicet istiusmodi misericordias.

Sunt aliae personae sic spirituales, ut contemplatio in ipsis peregrina causet accidentia, cum deliciis, et favoribus adeo exquisitis, ut fidem superent humanam: quocirca magis in specie recensere illa non audeo, inexperti quippe non credent. Aliqui enim ex his audiunt, vident, sentiunt, et olfaciunt more divino qualitates quasdam supernaturales coloris non materialis, suavitatis sine sapore humano, et incorporei cujusdam odoris deliciosi; substantiam, et accidentia sentiunt, abhorrentia nimis ab his, quae vulgo experimur. Res sunt istae, quas non videndo assequimur, nec dicendo: experti me capient, inexpertis licebit me irridere; quandoquidem nec me verbis expono, nec me assequi queunt.

Caeterum personae sanctae pro veris gratiae hujus effectibus reputant, emendare vitam et mores in melius, cor a temporariis evellere gustibus, proprias abnegare cupiditates, et appetitus per obedientiam, et resignationem, incedere humiles, contritos, et pavidos de se ipsis; non affici desiderio nec appetitu visionum, revelationum, lacrymarum, ecstasum, aliarumve gratiarum ex gratis datis; amare solitudinem, silentium, et recessum; vestitu gaudere lacero, atque resarto; fugere honores, commoditates, et lautitias. Contemplatio, quae hujusmodi secum affert effectus, bona est, sancta, et secura.

Caput Nonum.

Quomodo contemplatio virtutes morales altius extollat.

Non secus ac Reginae sunt, quibus inserviunt, et

assistunt duo foeminarum genera ; nimirum aliae Principes, quae non ex obligatione, sed ex animi propensione, affectioneque, illis se comites faciunt; aliae famulae, quae tenentur heras subsequi, et comitatum praestare : ita pariter juvat loqui de contemplatione, quae secundum Fidem, quam in se continet vivam, Rex est, secundum Charitatem accensam Regina. Duo etiam sunt genera famulantium : siquidem et sunt gratiae gratis datae, nempe donum Prophetiae, donum miraculorum, donum discretionis spirituum, ecstases, visiones, donum lacrymarum : hae sunt veluti gratiae Principes quae aliquoties, non semper, hujus Reginae comites procedunt ; et licet in statu contemplationis reperiantur, at non in personis omnibus contemplativis, sed in una vel altera, neque omnia istiusmodi dona, sed una vel altera earumdem gratiarum. Sunt vero virtutes morales, quae veluti servae debent in aliquo gradu subsequi contemplationem ; et ubi non est magna humilitas, patientia, paupertas, et obedientia, contemplatio est modica, debilis, apparens, et suspecta : et quemadmodum quanto Regina opulentior est, atque potentior, tanto est splendidior et cultior famulatitius apparatus ; sic loquor de contemplatione, quo scilicet ea major fuerit, virtutes morales, tanquam sui comitatus ancillas, magis in actionibus suis futuras nitore, nobilitate, atque excellentia quadam insignes.

Utque ab Humilitate incipiamus, ea est duplex, affectiva, et contemplativa. Affectiva oritur a propria cognitione, qua homo agnoscit vilitatem propriam, fragilitatem, et miseriam, se se despicit, nec sibi credere audet honores, dignitates, altave munia. Haec humilitas, quae in se considerata veritas est, valde est bona ; sed hostilitatibus non vacat, et multis est lapsibus obnoxia. Humilitas contemplativa est, quae nascitur a cognitione Dei, ut in Beatis, qui Deum clare

vident, et ex hac visione clara hauriunt sui nihili cognitionem clarissimam. Humilitas ista est solida veritas, fraudum detectiva quae animam tenet humilem, et humiliatam, ita ut omnes omnino laudes, aestimationes, ascensus, dignitates, honores, et munera Mundi, evellere ipsam non possint e cardine suo, neque vel uno puncto inde dimovere.

Paupertas est virtus, quae abjicit a se bona omnia temporalia, cum solicitudinibus, et commoditatibus suis; at potest in anima remanere aliquis erga eas affectus. Caeterum paupertas, unita contemplationi, adeo solet cor ab omni exuere affectione, ut ad odio habendas omnes temporales commoditates deveniat : vestitu lacero, et resarto gaudet : habitationem, etsi non sine mundicie, angustam vero desiderat : cellam pauperem, et sine supellectili curiosa : temperatam, quae necessitati, non cupiditati satisfaciat, edendi appetit rationem. Talis est expolitio, qua sublimatur paupertas a contemplatione.

Patientia per tres gradus procedit. Primus est tolerare, quod poenam affert, quamquam id sentiat homo. Secundus est, non obstante repugnantia, libenter acceptare adversa. Tertius est amare, quin et quaerere propter Deum, quicquid arduum occurrit, aut difficile. Contemplatio ita sublimare solet hanc virtutem, ut perveniat usque ad esuriendas, sitiendasque cruces, calumnias, falsa testimonia, opprobria, carceres, infirmitates, et alias aerumnas : quinimo patientia, innocentiae associata, solet esse veluti stemma notum in contemplativis; qui nimirum enormes inter cruces mitissime se gerunt, aequo animo, et taciti.

Castitas in contemplativis veteranis esse solet Angelica : in mediocribus oppugnata, quamquam non expugnata, solet reperiri.

Obedientia, simul, et abnegatio, filiae dilectissimae

sunt contemplationis, quibus contemplativi Deo ex integro sacrificant proprium judicium, proprias cupiditates, et gustus, quin homo sibi quicquam retineat.

Mansuetudini, simplicitati, honestati, temperantiae, solitudini, veritati, atque aliis virtutibus moralibus id genus, altior gradus, et excellentia ingens solet a contemplatione accrescere : quoniam si ea sit sola, et sine debito virtutum moralium comitatu, vel modica est, vel apparens, vel incipiens, vel privilegiata, et cito disparet; in societate vero praedictarum virtutum conservatur, et crescit.

Caput Decimum.

Quod magna capacitas naturalis requiritur ad contemplationem : et quam sit haec amabilis.

Natura subordinata est gratiae, tanquam subjectum suae formae perficienti : et idcirco quaedam circa illas proportio sit necesse est. Capacitas naturalis magna, si adimpleatur, magna eget gratia : capacitas exigua gratia etiam exigua contenta est. Et quemadmodum Deo a principio, quando creavit Angelos, secundum majorem, et minorem capacitatem naturalem, qua pollebant, majorem aut minorem gratiam illis infudit : ea pariter ratione solet accidere in hominibus, ut qui modicae sunt capacitatis, modica plerunque donentur gratia : et cum contemplationis donum magna sit gratia in sua excellentia, magna in suis operibus, magna in effectibus, congruit ut magnam requirat capacitatem naturalem : excipe, nisi dum una quaedam modica pars, vel unus aliquis ex gradibus primis communicatur; tunc quippe qualiscun-

que sufficiet capacitas. At vero summum contemplationis, cum quo (moraliter loquendo) largitur Deus summam lucem, summum affectum, ecstases, visiones, et majores alias gratias gratis datas; postulat hominem. cujus intellectus sit magnus, vividus, et clarus, atque veritati magis quam argutiae intentus, vel subtilitati; postulat judicium maturum, voluntatem affectuosam, et ad omne bonum propensissimam, et cui malum innate repugnat; indolem mitem, bonam, et pacatam, in qua non eriguntur vehementes, et excessivae passiones (non dico postulare hominem passionibus exutum, adhuc moderatis, et coercitis, quod non esset hominis, sed bestiae). Talis haec, et ita capax indoles tanquam ager est fertilis, in quo semen contemplationis, si ei committitur, ubertim germinabit.

Caeterum quicquid bonitatis insit indoli, si solum sit, satis non est : necessarium insuper est, ut elevetur, praeveniatur, ac disponatur auxilio supernaturali gratiae actualis, ut potentiae actus vitales supernaturales, et meritorios eliciant : si etenim reciperet homo gratiam contemplationis in potentiis non bene dispositis, multum potius damni posset sibi arcessere. Perinde fiet, ac si quis conscenderet citato impetu fastigium summum alicujus excelsi aedificii : ille talis et vertigine rotato sibi capite in praeceps rueret, et ante lapsum caeteros homines in sui comparatione parvulos deputaret. Perinde, inquam, fiet personae, quae transmigraret ex abrupto in apicem contemplationis, quin apposite disposita, et praeventa sit auxiliis efficacibus gratiae praevenientis, et comitantis. Res mihi est indubia moraliter, hujusmodi contemplativum se se ducturum nimis altum, et eximium in sanctitate, caeteros vero habiturum ut parvulos : et cum contemplatio infusa tantam secum afferat suavitatem, pacem, dulcedinem, teneritudinem, lacrymas, aliasque deli-

cias spirituales, quae licet non semper, plerunque tamen in personis contemplativis reperiuntur; tale hoc mel, et dulcedo hebetat, obtunditque nimis naturam; ac nisi doloribus, invaletudinibus, crucibus, aliisque tam internis, quam externis aequilibretur afflictionibus, dulce contemplationis vinum hominem inebriabit, et sic eum transversum aget, ut sibi opus futurum sit magna vi auxiliorum, ne in ultimam deveniat perditionem.

Caeterum splendide fallitur, quisquis cogitat, contemplativos semper et habitualiter gaudere suavi vertice contemplationis, imbutos visionibus, dulcedinibus, lacrymis, et revelationibus : quin imo istiusmodi, si nimis forent assidua, non leve ipsis praejudicium afferrent : unde si duos menses suavitatis experiuntur, per quatuor ariditatis menses pensionem exsolvunt. Excipiuntur quidam Eremicolae, et privilegiati prorsus solitarii, aliique non multi, qui per quindecim, aut viginti annos derelictionis viam sibi straverunt. De caetero reliquis suavitas contemplationis est tanquam splendida vestis pro Paschate, quae non diebus vulgaribus, sed festis duntaxat celeberrimis per annum solet aptari. Interim quemadmodum in saeculo reperire est Principes, qui continuo deterunt, consumuntque telas, vestesque magni pretii per singulas hebdomadas, et toto vitae tramite : ita spiritualis Natio suos enumerat Principes privilegiatos, omni virtutum Theologalium, et Moralium vi locupletissimos : qui bene possunt assidue inter maximas praesentiae Dei, et contemplationis suavitates incedere. Qui tales non sunt, ingens ab hoc favoris, et beneficii genere incurrerent nocumentum.

Caput Undecimum.

De variis animae cum Deo uniendae modis : et in specie de unione contemplativa illapsus.

Magnitudo, et excellentia bonorum spiritualium, et divinorum consistit in unienda magis creatura, ut melius se habeat cum Deo : et cum Creator sit nostrum primum principium, objectum, et ultimus finis, consequens est gratiam, quae nos unit cum Deo ut primo principio, objecto, et ultimo fine (qualiter facit contemplatio), esse altissimam, et excellentissimam.

Tres sunt modi, quibus anima potest uniri cum Deo. Primo tanquam cum suo primo principio, et causa particulari efficiente : uti fit lumine gloriae in caelo, et lumine contemplationis, quando pervenitur ad unionem illapsus, ut mox explicabimus. Secundo tanquam cum objecto Theologico : qua ratione tres virtutes Theologicae uniunt animam cum Deo, ut objecto suo. Tertio potest anima uniri cum Deo tanquam cum suo ultimo fine : in viatoribus quidem tanquam cum fine in meritis, et desiderio illum obtinendi ; at in Beatis tanquam cum ultimo fine, ut praemio jam possesso.

Ut ordiamur ab unione objectiva, quae fit per virtutes Theologicas animae erga Deum ; istiusmodi unio fit per ordinem intrinsecum, quo virtus Theologica ordinat animam virtuosam ad Deum, ut ad objectum, a quo specificatur : sicque Fides, Spes, et Charitas ad Deum ordinant, ut ad objectum creditum, speratum, et amatum.

Actus autem vitalis, liber, supernaturalis, et meri-

torius harum Theologicarum virtutum, sicut et reliquarum virtutum Moralium (quantum ad meritum, quod est entitas moralis, Deum respiciens ut praemium merito respondens), unit animam cum Deo, tanquam cum ultimo fine, praemioque nunc sperato, suo autem tempore obtinendo in caelo : istaque unio est moralis : sed Beati fruuntur in cœlo isto ultimo fine, obtento ut praemio.

Jamvero unio, quam habet anima cum Deo, tanquam cum primo, et principaliori principio efficiente, dilucidius agnoscitur in Beatis ; ubi essentia Divina per modum speciei impressae unitur cum intellectu Beati, atque vitaliter, et supernaturaliter operatur simul cum intellectu actum vitalem visionis beatae. Quamquam mea quidem opinione tunc lumen gloriae munus gerit speciei impressae ; substantiaque divina est intime coexistens, et quasi unita cum substantia vitali animae, ipsaque tanquam vita supernaturalis gloriosa, et principalis, quae influit vitam supernaturalem in visionem claram, amoremque beatum. Ut enim rursus opinor, in his duobus actibus consistit formaliter gloria essentialis, et adaequata, inadaequate in uno eorum quolibet. Atque in illo tali statu Deus est unitus cum anima, tanquam cum primo principio efficiente, objecto beatifico conjuncto, et ultimo fine possesso.

Id ipsum contingit, etsi raro, et modo diverso, in contemplatione viatorum ; quando per unionem illapsus substantia divina, tanquam principium assistens et elevans, coexistit intime in animae rationalis substantia, tanquam principio elevato (unio quippe ordinaria est mediante actuali gratia ejusdem contemplationis). Loquor autem nunc de hac extraordinaria unione illapsus : quae non incongrue a similitudine ignis explicatur, substantialiter coexistentis in poris intimis ferri : tunc enim ferrum, quod de se est siccum, frigi-

dum, et obscurum, splendet virtute aliena, calefacit, et illuminat, ac si esset (cum talis non sit) ignis substantialiter.

Idem accidit substantiae animae, quae de se tantum est vita naturalis : at bene potest Divina substantia, non modo ut causa universalis, sed etiam ut causa efficiens particularis assistens, et principium elevans, esse adeo intime velut imbibita, et inexistens in anima, ut haec operetur tanquam modo quodam medicinali divino adjuta, intelligat et amet quasi modo etiam divino : atque tunc Deus est quasi anima assistens nostrae animae, principiumque est vitale supernatule, insertum quodammodo in vita nostra naturali, ac producens actus adeo sublimes, et supra omne aurum probatos, ut nec habitualis gratia, nec charitas, nec contemplatio, extra unionem hanc, producere illos queant. Caeterum quoniam unio ista est passivae contemplationis fundamentum, aliquid de illa inferius ultra subjiciemus.

Juxta haec contemplatio, in quantum ex parte sui principii componitur ex habitibus Fidei vivae, Charitatisque accensae, ipsiusque actus consurgit ex illa utraque virtute, unit nos, et ordinat ad Deum, ut ad objectum earumdem virtutum Theologicarum. Item in quantum suus actus est vitalis, liber, supernaturalis, et meritorius, unit nos moraliter, et ordinat ad Deum, ut ad ultimum finem, quem meremur, et speramus. Demum in quantum satis raro accedente unione illapsus, substantia divina, ut principium elevans assistens, quasi est imbibita in substantia vitali animae, quae est principium elevatum; tunc contemplatio unit nos cum Deo, tanquam cum primo principio. Atque adeo contemplatio unit cum Deo animam omnibus modis, tanquam cum primo principio, fine ultimo, et objecto Theologico : ex quo elicitur magnitudo ipsius, nobilitas, et excellentia.

Neque ista unio illapsus debet vocari unio substantialis : quia extra unionem hypostaticam nolunt admittere Doctores Scholastici unionem aliquam substantialem supernaturalem. Ac licet quandoque aliqui cognominent illam contactum substantialem, parum hoc interest nomen : siquidem aliud non indicat, quam intimam quamdam coexistentiam substantiae divinae in ratione principii elevantis cum substantia spirituali humana in ratione principii elevati. Nec etiam Deus in hac unione aliquam facit compositionem substantialiter cum anima ; cum non sit principium informans, sed assistens.

Caput Duodecimum.

De duobus istius unionis illapsus effectibus, qui sunt passio divinorum, et languor amoris.

Quandoquidem in unione illapsus substantia Divina se se intrudit, imbibit, et sistit ut principium vitale supernaturale in magis intimo sinu essentiae substantiaeque animae, unde influit in potentias vigorem quemdam vitalem supernaturalem et divinum ; admirabiles sunt effectus, quos causat in anima ipsa, et potentiis illius maxime in passibus protectionis Seraphicae, ubi anima experitur symptomata quaedam amabilia aeque ac mirabilia, quorum causa occulta nos praetervolat. Et quoniam symptomata ista in multis contemplationis tractibus reperiuntur, juvat illos nunc explicare, quo expeditior postmodum absque inutili eorumdem replicatione procedere valeam.

Languor Amantis.

Alios inter et plurimos effectus, quos amor contemplativus causat in anima, unus esse consuevit Languor quidam deliciosus, tener, et suavis, quo Anima, non fastidiens, sed victa, et quadam coelesti dulcedine satiata, quasi aestuat in modum alicujus patientis deliquia, vel ac si meridiei aestu exardescens, procumberet ad umbram arboris, ubi refrigerium aliquale susciperet ab ingenti, qua erat accensa et ardens, vi caloris. Ita res agitur cum animabus istis deliciatis a Deo : jacent veluti animo deficientes in brachiis sui Dilecti, se habent quasi rosae in vase distillatorio, quae in vi subtus ardentis lente ignis in aquam resolvuntur rosaceam. Eumdem in modum animae contingit aliquoties in hoc rerum articulo : in vi lenti charitatis ignis ardet summis amoribus, tenerrimis indulget favoribus, ac in dulces resolvitur lacrymas : si memoriam exercet, non fit sine dulcedine : si suspirat, non sine teneritudine : laudat, amat, magnificat, et adorat interdum uno solo affectu, in se omnes istos alios affectus includente : atque hac in suspensione agit, et patitur mirabilia, et arcana, quorum captum expertis relinquo. Iste affectus in multis contemplationis Seraphicae passibus sentitur.

Pati divina.

Secundus hic affectus consistit in amatoria quadam passione, quae occupat, implet, ac suaviter inebriat cor, nasciturque a plenitudine suavis divini amoris, qui e voluntate exundat ; et quemadmodum ampulla succensa redundat, et contentum licorem ejicit a se ipsa, communicatque nigris subter se carbonibus posi-

tis, qui suaviter alterati beneolentem de se fumum emittunt, non quidem suum, sed ampullae : ita quoque ardet quandoque voluntas igne amoris divini, adeo ut per illam redundet, qualitas quaedam peregrina, se communicans organo, quod est cor, atque hoc, utpote fons vitae, devotione manet imbutum : rursusque inde, veluti rivuli a fonte, nascuntur in corpore animaque coelestes jubili, gaudium, pax, teneritudo, lacrymae, quies, suspensioque sensuum, aliaque symptomata secreta pariter ac suavia. Hic effectus in multis contemplationis passibus reperitur : ut replicare pluries id ipsum non teneamur, bene erit semel esse praedictum. De caeteris contemplationis effectibus contingentibus (uti sunt Ecstases, qui sunt effectus amoris in corde ; Raptus, qui est vehemens cognitio cerebrum opprimens, atque privans sensibus), inferius suo loco verba faciemus.

LIBER QUINTUS

De Contemplatione Cherubica, ipsiusque praxi.

Caput Primum.

Quid sit contemplatio Cherubica? et quid addat Fidei, et Theologiae Scholasticae.

Duo termini *Cherubicus* et *Seraphicus*, etymologiam suam accipiunt a duobus primis primae Hierarchiae coelestium Spirituum Choris. Seraphini sunt, in quibus eminet magis, et excellit ardor amoris, quam lux scientiae, quamvis utraque gaudeant perfectione. Cherubini vocantur veluti plenitudo scientiae, ubi magis splendet lux intellectualis, quam ardor amoris, licet hoc et illa polleant. Pari ratione in contemplatione, quae Fide constat viva, et Charitate incensa, modo hic, modo ille actus magis emicat; et tunc qui est supereminens, tribuit denominationem. Si supereminet lux intellectualis Fidei vivae, dicetur contemplatio Cherubica : si vero supereminet quod sit affectuosum, et magis ardens et accensum Charitatis, dicetur Seraphica contemplatio.

Fides est habitus infusus circa res divinas, et revelatas, estque necessarium Mysticae contemplationis fundamentum : consistit vero in una, vel pluribus speciebus infusis, repraesentantibus nobis veritates divinas, et revelatas ; ita ut materiale Fidei sint species illae

repraesentantes, formale (ut Scholastice loquamur) sit ordo ille, sub quo praedictae omnes species respiciunt veritatem divinam revelantem, et revelatam.

Theologia Scholastica, in quantum scientia, est habitus ex genere suo evidens (quamquam in casibus particularibus, ob impedimenta per accidens occurrentia, sit solum probabilis, et opinativus), qui praesupponendo primam veritatem revelatam, ex illa simul cum aliquibus principiis revelatis, et quandoque discursibus et consequentiis, nunc scientificis, nunc probabilibus, stabilit, et in tuto servat plurimas Fidei veritates, quae supra quidem, non tamen contra rationem humanam sunt : et est, quod Theologia servat in tuto. Materiale hujus habitus sunt species intentionales acquisitae ; formale vero ille ordo, cum quo simul omnes respiciunt res divinas, in quantum (supponendo esse revelatas) affirmari queunt discursibus, aut evidentibus, aut saltem probabilibus.

Duobus hisce principiorum cognoscitivorum generibus, et speciebus intentionalibus ad objecta sua rite ordinatis, addit contemplatio tertiam aliam speciem luminosam, claram, et calorificam, quae duobus aliis specierum praeexistentium Fidei, et Theologiae generibus unita, elevat, et exaltat eximie intellectum, ut veritates divinas revelatas cognoscat novo aliquo modo, nova luce, nova vivacitate, novo in omnibus incremento. Lux Fidei est obscura, verum certa. Theologia est certa et ad modum naturalem aliquantulum clara. Lux autem, quam addit Contemplatio (quamquam supernaturaliter sit abstractiva, et gratiam det, non vero gloriam), est clara, certa, fortis, pacifica, delectatrix, et pura : est principium cognitionum, quae vitam et mores in melius excitant : est lux practica, sic intellectum illuminans, ut simul calefaciat, emolliat, liquefaciat, et recreet voluntatem ; animam teneritudine afficit, intentionem-

que rectificat, quo Deum solum in omnibus suis desideriis, operibus, et verbis requirat. Et quemadmodum radio Solis meridiano conclave aliquod tenebricosum repente ingresso, ubi aliquis jaceret infirmus tristis; conclave quidem illico inclarescit, aer purificatur et infirmus laetitiâ perfunditur ; ita in contemplativa hujusmodi luce ignorantiae ipsius illuminantur, purificantur affectus, rectificatur intentio, cor pace quiescit, mens illustratur, divina pariter, et humana novis cum excellentiis aperiens, antehac nec scita, nec intellecta. Hi sunt illi fructus, quos secum affert istiusmodi lux contemplativa, et Cherubica.

Caput Secundum.

Quid agat, et quid patiatur anima, quando incipit contemplatio? et quid tunc a Deo recipiat?

Solet, potestque Deus multifariam initium dare contemplationi. Equidem exemplo Desponsationis spiritualis me accommodo : ubi Deus est sponsus, et anima sponsa. Humanitas Christi Domini Nostri Paranymphus esse solet, Parochi simul vices supplens, nec sine testium praesentia, quorum praesentia, et assistentia Matrimonium istud perfici consuevit. Contemplatio viae, seclusa Dei visione, veluti Matrimonium est ratum : contemplatio autem gloriae veluti Matrimonium est consummatum, ubi aeterna est cohabitatio, indissolubilisque animae cum Deo unio in gloria.

Ad haec quemadmodum Sponsus, si magnorum Principum unus est, priusquam dextram dexterae porrigat, inaestimabilis pretii mundum muliebrem Sponsae suae, ut moris est, largitur; perinde se Deus

gerit initio contemplationis, animam praeveniendo sanctis inspirationibus, piis affectibus anxiisque tanti boni desideriis : mox vero communicat monilia spiritualia, veluti arrhas desponsationi praeambulas, qualis est guttula quaedam illius coelestis licoris, qua suaviter animam inebriat cum teneritudine, dulcedine, pace, gaudio, puritate vitae morum, et intentionis, lacrymis, devotione, recollectionis ac solitudinis amore, odio autem deliciarum mundialium, et honorum. Tunc anima, ut se videt subitanee divitem his monilibus gratiae, quas recepit gratis tanquam dispositiones praevias, ut capacior esset contemplationis sublimis, confestim verecundia quadam virginali, humilique suffunditur, grata item admiratione obstupescit : quinimo humilitatis excessu solet ita contrahi, ut intra suum nihilum se recipiat, quo magis securam reddat humilitatem, et fidelitatem, quae pro exaltationibus adventuris necessariae sunt.

Quando anima eo, quo nunc diximus, modo disposita est, potest cum hujusmodi Sponsa, et non raro solet Deus uniri, ut principium, objectum, et finis : ut principium, quod elevat, objectum, quod ipsius actus specificat, finis, qui eosdem terminat. Explicatur hic tractus a similitudine Solis, quando suos jaculatur radios in speculum purum, tersum, et crystallinum : tunc speculum alter videtur sol esse, utpote quod Solem ad vivum repraesentat, resplendet ut Sol, et ut Sol (quin tamen sit) calefacit et incendit. Hac ratione, inquam, aliquoties Deus in anima unita per gratiam, est veluti Sol in speculo, cui per species, et imaginem intentionalem unitur : et uti speculum virtute, activitateque aliena, passione vero, ac repercussione propria, lucet, calefacit, ardet, ac Solis instar, cum Sol tamen non sit, splendet : ita et Anima in tractu isto intelligit, et amat, gaudet, ardet, lucetque in modum divinum,

quin divina sit : cumque in hac nova, et insolita luce tot videat perfectiones in suo Sponso cumulatas, sine mora, suavi quodam mentis excessu abrepta in exquisitos erumpit affectus amoris cujusdam admirativi, tranquilli, pacificique.

Rursus quemadmodum furnus, ne in frustra dirumpatur, per ea, quae habet, foramina respirat : sic anima in hoc rerum articulo tot, ac tantis redundat amoribus, tot favoribus, ardoribusque, ut quo non penitus (ut ita dicam) dirumpatur, per amatorios quosdam affectus cogatur respirare dicendo per intervalla : Quid hoc est, vita vitae meae ? ubinam sum ? quid facio ? quid video ? quid possideo ? quaenam haec mutatio tam subita, Sponse mi ? Aliquoties autem semetipsam invenit anima, quasi suffocaretur suaviter in pelago lactis et sacchari liquati, nempe in coelesti quadam dulcedine, ubi cum teneritudine recreatur, tacet cum reverentia, decenter suspirat, amat, laudat, magnificat, et grates rependit uno solo, et in longum producto affectu, pro eo quod Dilecto suo refert acceptum. Hoc aliquid est eorum, quae anima tam agit, quam patitur contemplationis initio, non in omnibus, sed in oppido paucis : rari enim sunt, qui vel incipiant hinc, vel ibidem finiant.

Caput Tertium.

Praxis contemplationis Sanctissimae Trinitatis.

Fides divina fundamentum est necessarium mysticae omnis contemplationis : Theologia vero Scholastica interdum pro fulcro est etiam scientibus. Docet nos Fides, Deum in Essentia unum esse trinum in Perso-

nis realiter distinctis, quae sunt Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Pater ingenitus est principium, fœcunda generatione producens Unigenitum suum Filium, consubstantialem, et omnino aequalem Patri. Item Pater et Filius, licet duae sint Personae realiter distinctae, in ratione tamen spirandi Spiritum Sanctum, sunt unum principium ; quandoquidem una eademque voluntate, actuque uno, eodemque, illum producunt. Ad haec Spiritus Sanctus (etsi non generet ut pater, nec spiret producendo ut Pater et Filius, intelligendo et amando notionaliter, sed essentialiter) tam bonus, sapiens, et sanctus est ut Pater et Filius, illisque consubstantialis in omnibus, et unus ac idem Deus.

Theologia scholastica, stabilitis, et praejactis veritatibus istis ut revelatis, ut ostendat hujusmodi Mysterium esse quidem supra, non tamen esse contra rationem humanam ; probat, quomodo non repugnet, Patrem communicare Filio suam Essentiam et Naturam, Paternitate non communicata, exemplo animae rationalis, quae una est in essentia, et trina in potentiis intellectus, voluntatis, et memoriae : unde non est cur ex terminis repugnet, Deum esse in Essentia unum, et trinum in Personis. Consubstantialitatem Filii cum Patre firmat, et declarat exemplo flammae in candela, quae instantanee aliam generat flammam ita grandem, pulchram, et splendidam, ut est substantia flammae generantis : et quemadmodum hae duae flammae, conjunctim acceptae, possunt aliam tertiam producere flammam, ita bonam, bellam, et fulgidam substantialiter, ut illae sunt duae, quae ipsam produxerunt, remanentibus omnibus tribus flammis aequalibus in eodem ellychnio ; ita Pater et Filius per spirationem producunt Spiritum Sanctum aequalem in omnibus, et manentibus omnibus tribus Personis in eadem natura. Hunc in modum Theologia scholastica reddit faci-

liorem viam humano intellectui, ut magis expedite credamus Mysteria revelata, quae Fides divina proponit : quod est veluti picturam in obscura fidei umbra intueri, adminiculante non parum Scholasticae Theologiae Lucerna.

Ceterum si quis obscuro inclusus conclavi, tenui lucernae lumine perscrutans variorum et hortorum, et pratorum arborumque picturam, subito autem aperta muri fenestra, juberetur lumine claro Solis lustrare distincte rerum pictarum excellentiam, absdubio cum hac intuitione sub tanto claritatis augmento, de illis iisdem rebus novo solatio, nova admiratione, novoque gustu ille donaretur. Similiter accidit aliquibus contemplativis animabus, dum Sanctissimae Trinitatis mysterium vident sub Fidei umbra et obscuritate, nec sine adminiculo lucernae scholasticae Theologiae; tunc illis aliquoties supervenit quaedam de isto Mysterio lux clara, calorifica, splendens, pacifica, et jucunda, supremum hoc arcanum multa cum vivacitate repraesentans : insuper in eo, velut in speculo divino, intuentur plurimas simul veritates novas, plura divina secreta, mysteria complura, plurimas perfectiones, atque isto simplici solo intuitu anima suspenditur, admiratur, delectatur, inflammatur, et interius immutatur, elevatur, et plene perficitur.

Quosdam novi Theologos, qui aliquoties hac donabantur contemplationis gratia circa istud Mysterium ; dicebantque lucem, quam circa illud in libris reperiebant, esse tenuem, ac frigidam : at ubi Deus infundebat ipsis eam contemplationis speciem luminosam (asserentibus iisdem) inveniebant esse lucem claram, et calorificam, quae sublimiter illuminando intellectum, calefaciebat suaviter voluntatem. In tali casu cognitio erat excessiva, amor admirativus : intuebantur processiones ad intra summa cum admiratione, stupore ac

veneratione, silentibusque intellectus discursibus, loquebantur voluntatis affectus, non vocibus, sed notis id, quod anima cupiebat dicere, significantibus, solique Deo cognitis. Fruebatur anima quadam maris tranquillitate, quadam pacifica incognitorum affectorum, sed deificorum valde, possessione : non suspiriis agebatur, non lacrymis, nec teneritudinis, aut aliis corporeis alterationibus ; eo quod hujusmodi contemplatio esset prorsus interior, ab omnibus sensibus, et ab omni quod est corporeum remota, siquidem eliciebatur specie infusa, cui nec conferebant, neque obici erant, interni sensus, nec externi. *Brevis mora, sed gratiosa mora.* Semper quod qualitate nimis pretiosum est, quantitate est modicum, et valde paucorum : quamquam Deo numquam aliqui desint, quibus ipse id contemplationis genus elargitur.

Caput Quartum.

Praxis contemplationis de Mysterio Incarnationis.

Fide docemur, Filium Dei factum esse Hominem in visceribus Sanctissimae Virginis Mariae, unitis inter se hypostatice Natura divina et humana in Persona divina, supplente personalitatem et subsistentiam humanam : atque adeo in Christo Domino Nostro, licet sint duae integrae naturae, non sunt duae Personae, nec duo Filii. Eadem Fides edocet nos, Christi actiones fuisse Theandricas, id est, Dei-Hominis, passum ut Hominem, ut Deum resurrexisse.

Theologia scholastica istas praesupponens veritates

divinas, easdem stabilit, confirmatque variis et convenientiis, et exemplis. Sic unionem hypostaticam utriusque naturae divinae, et humanae in eadem Persona Verbi declarat exemplo inserti, vi cujus rami distincti eodem in trunco inseri queunt, quo fit, ut provenientes inde fructus aliquid utriusque insertae naturae participent.

Quomodo cum sit Deus et Homo, et passus in quantum homo, non est passus, nec pati potuit ut Deus, explicat Theologia exemplo crystalli luminosae : crystallo enim quantumvis fracta, fissa, percussa, et male habita, lux imbibita interius nec frangitur, nec male habetur. Sic ergo quantumvis Humanitatis crystallus in Passione fuerit pessime tractata, pura Divinitatis lux pati nequaquam potuit.

Insuper quod Christus Dominus nunquam dimiserit aliquid semel hypostatice assumptum, explicat exemplo illius, qui evaginat gladium, retinendo hunc in una, vaginam vero in altera manu : sicque, licet Anima in cruce a Corpore separata fuerit, ut gladius a vagina, Divinitas vero cum corpore mortuo, et cum anima separata, unita permansit. Hac via Theologia Scholastica intellectum humanum manuducit, ut has credat divinas veritates : quae quidem etsi supra rationem sint, non tamen contra illam, sed admodum ipsi conformes.

Super duobus hisce fundamentis accedit Meditatio, considerando articulatim virtutes, gratias, et excellentias hujus Dei-Hominis. Considerat nempe vultum illum serenum, gravem, et mansuetum : oculos illos liberaliter apertos, pulchros, et jucundos : genas illas consimiles rosae rubicundae in medio nivis : nasum illum eleganter proportionatum, os decentissimum, totamque praesentiam exteriorem omnino propriam Domini mitis, formosi, et amantis. Mox ad-consideran-

dum progreditur ipsius excellentem, delicatum, vivacem, et comprehensivum intellectum, divinis quidem donis ditatum : voluntatem prorsus nobilem, blandam, teneram, et amatoriam, cum caeteris, quibus abundat, donis. Considerat, quomodo Pater Aeternus, et Spiritus divinus in eodem Jesu intuendo, considerando, et amando, praecipuam, ut ita loquar, occupationem habent. Eadem fuit occupatio Matris ejusdem Christi Jesu, quam et habent in coelo nunc Angeli, et Beati. Atque hinc accendi solet in anima mitis quidam ignis amoris erga istum Hominem-Deum ; simul cum ingentibus desideriis illi serviendi, milliesque ad gustum ipsius operandi, quantumcumque sine infinitis laborum expensis obtinere non possit.

Circa haec eadem objecta, et veritates, solet Deus infundere quamdam speciem luminosam, ardentem, accensamque in intellectu, cujus vigor transit ad voluntatem : quae species has representat veritates novo, tamque admirabili modo, quam delectabili, causanteque cognitionem adeo vividam, celerem, acutam, claram, et delicatam in anima, ut Deus hic Homo magnes videatur esse, sua praesentia cor ad se trahens, atque suspendens. Ibi etiam ad vivum repraesentatur Divinitas ut globus lucis imbutus in Humanitate, tanquam in globo crystallino : ita ut suas alius alii vicissim communicet proprietates ; atque adeo luce, ut sic dicam, crystallizante, et crystallo lucente, ardet, splendetque : cum insuper splendidum lucis ita est cum terso crystalli penetratum, illaque pulcritudo sic intima est in laevitate crystalli, ut reddantur oculis imperviae qualitates distinctae utriusque naturae lucis, et crystalli, quasi unitae in eodem illo supposito. Consimili modo representatur quandoque nobis lux Divinitatis, unita hypostatice crystallo Humanitatis, operante hic Deo humano modo, et Homine operante modo divino. Et

quemadmodum e crystallo, luce imbuto, emittuntur radii, qui circunstantes clarificant, illuminant, et laetificant : ita etiam aliquoties ex hoc Deo-Homine, ipsiusque aspectu, et praesentia, scintillae quaedam amatoriae prosiliunt, quae amore tenero blandoque nos inflammant; cogitationes etiam excitantur subtiles, quae plurimas sine discursu veritates assequuntur. Anima tunc est anxia, blanda, tenera, redundans affectibus, atque suspiriis : desiderat, ardet, amat, loquitur, tacet, auscultat, audit, odoratur, sentitque modo divino : quae sunt peregrinae qualitates, derivatae ab hoc Homine-Deo. Tunc Fides egregie vivificatur, Spes per fiduciam redditur quasi secura, Charitas accenditur, omnesque virtutes morales novum quoddam esse, sublimitatemque recipiunt : hoc etenim proprium est illius Humanitatis.

Adhaec quemadmodum specula reperies, quae propter secretam, qua elaborata sunt, artem, aut qualitatem, facies aliter, quam reipsa sunt, repraesentant, ex. c. foedas facies ut pulcras, oblongas ut rotundas ; ita sunt species quaedam intentionales abstractivae, quae Humanitatem istam alio, quam est nunc, modo repraesentant: aliquoties siquidem repraesentatur nobis Christus Jesus ut infans, cum sit homo statura grandis ; et cum sit gloriosus nunc, repraesentant nobis dolores sustinentem ad Columnam, vel in Cruce, vel in passu alio suae Passionis. Nullam hoc denotat mutationem, quae in objecto sit, sed in speciebus abstractivis, quae ad instar speculorum virtute secreta objecta repraesentant diverso, quam in se sint, modo. Eo autem id tendit, ut vivificentur in nobis virtutum moralium affectus, compunctionis, patientiae, humilitatis, obedientiae, doloris, timoris, confusionis ; quorum affectuum imitatio sumitur ex Vita, Infantia, Passione Salvatoris, ac Morte. Quod si aliquis contemplativus virtutes morales

non exercet, fallitur, si tamen putat, se multum Deo placere : nam ut ignis absque lignis, titionibusque, nutriri nequit, nec augeri; pariter ignis amoris Dei sine lignis moralium virtutum nec conservatur, nec augescit.

Caput Quintum.

Praxis contemplationis de Mysterio Eucharistiae.

In hoc Mysterio a Fide docemur, pronuntiatis a Ministro legitimo verbis consecrationis, converti substantiam panis in substantiam Corporis Christi Domini Nostri, et substantiam vini converti in substantiam Sanguinis ejusdem Salvatoris; et manere accidentia Panis, et Vini, cooperientia Corpus, et Sanguinem Jesu Christi, quin actualem cum ipsis inhaerentiam habeant, atque ita sine subjecto inhaerentiae conservantur. In eodem Mysterio Fides sensuum supplet defectum : nec enim vident oculi colorem Corporis Christi, neque illud sentit tactus, nec odoratur olfactus : nec idem Corpus est pondere grave, atque amplius duabus ulnis habens longitudinis, capitur quavis minima Hostiae particula consecrata, sacramentaliter quidem, et non ut in loco. Haec omnia superant sensum, humanumque discursum : eo sola Fides pertingit.

Huc vero Theologia Scholastica sese insinuat, variis similitudinibus, et congruentiis stabiliendo has veritates, quo intellectus sibi persuadeat, eas non esse contra, licet supra rationem sint. Mysterium Transsubstantiationis declaratur Apis exemplo, quae in ore suo tali

pollet virtute, ut substantiam roris convertat in substantiam mellis, manentibus in melle iisdem accidentibus, quae in rore primum erant, eadem quantitate, colore, odore : atque adeo non ita incredibiliter mirum est, Christum Dominum Nostrum ea in ore suo, ac verbis, esse praeditum virtute, ut possit convertere substantiam panis in substantiam Corporis sui, et quod eadem accidentia permaneant. Non me latet, exemplum non esse in omnibus simile : sufficit aliqua congruentia gaudere. Sensus in objectis suis decipi, est facile obvium : siquidem videmus montes, in se ipsis virides, nobis caerulos videri. Praeter quam quod cum color, odor, et quantitas Corporis Christi, jam sint gloriosi, et immutabilis, objectum esse nequeunt competens et proportionatum sensibus corruptibilibus. His, ac similibus congruentiis mitigat Theologia Scholastica nonnullas ex difficultatibus, quae intellectum morari possent in credendo praefatas divinas veritates.

Quid vero? si supra omnes istas cognitiones Deus nobis speciem infundat, quae repraesentet modum, ac rationem, qua Corpus Christi sub speciebus sacramentalibus existit, velut Rex in throno suo interjecta cortina, velut Sol formosus nubibus coopertus accidentium, veluti Fons Paradisi, specierum sacramentalium frondibus occultus : quo ex Fonte quatuor flumina Gratiae, Misericordiae, Charitatis, et Pietatis exundant, pro irriganda, laetificanda, et faecundanda Ecclesia, cordibusque Fidelium, qui ex hoc fonte bibunt. Quaevis contemplatio in hunc modum representativa, solet interdum esse tantae virtutis, ut animum rapiat, et suavi quadam admiratione suspendat, stupendo ad conspectum istarum divini Amoris inventionum, pro debellando corde humano. Istiusmodi cognoscendi genere festive anima tripudiat, ac veluti redundans ardore igneo cujusdam grati amoris, tota quanta lique-

scit, et in affectus dissolvitur gratitudinis. Quanta tunc facilitate credit, quod antea quodammodo dubitabat? quanta cum certitudine amplectitur id, quod non capiebat? quanta cum claritate intelligit veritates, humano discursu impervias ?

Fides haec tam altas solet agere in anima radices, ut millies corpore mori pro quolibet eligeret articulo ex revelatis : et quantumvis homines, et Angeli contra quod tunc credit exsurgerent, ne minimo quidem apice a veritatibus, quas ista firmitate credit, et integritate, dimoveri posset. In eadem hac intellectus perfectione non sinitur voluntas otio dedita ; quinimo ardet amore, simul et cum veneratione, timoreque adorat.

Terret sua magnitudine illa Majestas, quam adorat, amat, colit, reveretur, admiratur, laudat, gratitudine prosequitur, et summa cum puritate magnificat. Tunc anima sese humiliat, ac velut attonita magnitudine doni hujus, quo Deus semetipsum dat Incarnatum, et sub Sacramento in cibum animarum, tam intra, quam extra se verbis reperitur inops, affectibus, et operibus, quibus sufficiat beneficio adeo ingenti referre gratitudinem : proindeque in sapienti quodam silentio persistit, venerando tacens, cum decenter nequit loquens gratias agere. Qua ratione, aliisque secretis affectibus allecta, quibus explicandis ego imparem me profiteor, tenetur anima interdum in ista contemplationis specie.

Variae Hostiae consecratae apparentiae (qualis hodie visenda extat in miraculo Sanctareni Lusitaniae) in Infantis, Agni, Christi crucifixi figura, et similibus, per species fiunt abstractivas; deserviuntque pro fovenda devotione, reverentia, veneratione, qua Fideles afficiuntur ad hoc divinum Mysterium; nec parum in Fide illos confirmant, et ad bona opera sunt incitamento. Et est finis in id genus miraculosis apparentiis Domino praefixus.

Caput Sextum.

Praxis contemplationis attributorum Dei.

Attributa divina, uti sunt Omnipotentia, Justitia, Misericordia, et Bonitas Dei, sunt perfectiones substantiales, revelatae per Fidem, et creditae, atque per effectus creatos tamquam increatae Causae dotes cognoscuntur. Omnipotentia detegitur in creatione coeli, et terrae, Angelorum, et Hominum, totque, ac venustarum adeo creaturarum coelestium, et elementarium; quarum consideratio ingentem rapit in admirationem. Justitia innotescit in aeterno bonorum praemio, et supplicio aeterno iniquorum; unde gignitur poenae timor, et spes praemii. Misericordia quasi occupata invenitur in subveniendo tot, et tantis creaturarum miseriis. Bonitas manifestatur in adeo infinitis modis sese communicandi creaturis. Harum considerationum quaelibet, si mediocritatem non superat, erit meditatio : si animam cum excessu elevat, unionem afferet, cum avulsione a creatura, et amore Creatoris : si ad sublimiorem ascendit gradum in cognitione Fidei, et vivacitate amoris, poterit evadere contemplatio.

Missis aliis attributis, explicare juvat istiusmodi contemplationem in attributo Immensitatis, quo Deus est in omni loco intime praesens ut causa universalis, essentiam et esse cujusvis creaturae conservans. Interdum contemplativi tali luce contemplativa donantur de his veritatibus, tam pura, clara, et tam sublimi, ut istam considerando Immensitatem, Deum in omnibus temporibus, locis, personis, et occupationibus praesentissimum inveniant; cor item habent ita bene dispositum (ad instar nitrati pulveris sublimati, qui ad mini-

mam accenditur scintillam), ut ad tenuissimam cogitationem, vestigium, signum, aut relationem Creatoris, subito subsultet anima in Creatorem jaculatoriis, anxietatibus, suspensione, affectu, aliisque actibus internis, vel externis, etiam suspiriis. A pulchri floris conspectu ad Dilecti pulchritudinem salit cogitatio. A Musicae suavis auditu sine mora excitantur ad interiorem Dilecti vocem auscultandam : ad modum quo in claviculis organi nulla contingitur, quin aliqua resonet tibiarum : hoc enim modo accidit ejusmodi personis, quod nulla possit attingi clavicula creaturarum, quin dulces excipiant sonos Creatoris, quem ubique praesentissimum reperiunt; et pro scala item creaturae sunt ipsis, ut celeres ad coelestia conscendant.

Iste orationis modus multis in se deliciis, teneritudine, devotione, compositione, facili ad interiorem Dei continuam praesentiam, cum orationibus jaculatoriis, suspiriis, lacrymis, et quandoque gemitibus abundat. Interior porro unio tales contemplativos facit exterius modestos, honestos, compositos, tacitos, sine affectationibus, gestibus, hypocrisi, sed cum sinceritate, et veritate. Hac ex oratione haurit anima ingens robur ad exercendas rite virtutes morales; illas praecipue, quae cum suo statu, instituto, et obligatione, magis fuerint annexae, sine quibus contemplatio, vel amissioni, vel suspicioni est obnoxia : magis enim virtuosus sanctior est, non magis contemplativus, nisi fuerit simul virtutibus, exemplisque illustrior.

Caput Septimum.

Praxis contemplationis Symbolicae.

Multis, variisque modis animabus contemplativus se

se Deus communicat. Quandoque iis infundit species intuitivas, quae repraesentant objecta, ut sunt in se; ut si modo repraesentaretur nobis Humanitas Domini Nostri Jesu Christi pulchra, et gloriosa, ut in coelo est: atque adeo istius cognitionis principium dicetur species intuitiva, objectum repraesentans ut est in se. Species autem abstractiva est, quae objectum repraesentat diverso modo, ac in se est; ut si nobis repraesentaretur Iesus Christus in figura infantis, qualis modo non est: tunc hujus cognitionis principium dicetur species abstractiva.

Sunt et aliae abstractivarum species, quae dicuntur symbolicae; quando nimirum speciebus alienis repraesentantur nobis res, quae alias veritates ab ipsis distinctas repraesentant: quo ex. c. modo Palma est symbolum victoriae, Agnus innocentiae. Hujusmodi symbolis Stellarum, Sigillorum, Seniorum viginti-quatuor, Phialarum, Throni, et Iridis, repraesentavit Deus in Apocalypsi Sancto Joanni plurimas veritates occultas Ecclesiae Militantis, et Triumphantis: similibusque symbolis repraesentavit Prophetis eventus plurimos utriusque Testamenti. Novi ego Personam contemplativam, quae oculis ad coelum sublatis, vidit illud colore sanguinis delibutum; ac vice Solis, Lunae, et Stellarum, totum vidit conspersum Crucibus, Flagellis, Arcubus, Uncis, Catenis, Vinculis, Funibus, aliisque poenalibus instrumentis: una ipsi datum est nosse, per multos labores viam sibi faciendam in coelum; quod quidem sine mora ratum anima, et acceptum habuit.

Aliter alias in magis arcano animae sinu apparentiae plurimae nobis repraesentantur, tanquam versatiles variarum figurarum scenae; quarum intelligentia quandoque in anima superest impressa, quandoque suspensa manet; tunc vero declaratio attinet ad supe-

riorem, aut Patrem spiritualem; et aliquoties futuro tempori reservatur. Animae, quae hac oratione donantur, vident aliquando Palmas, Columbas; Vireta, Poma aurea, Cruces, Coronas, Spinas, Flagella, Quod si res istiusmodi ut tanquam sui vestigia relinquunt in anima vanam curiositatem, admirationem imprudentem, aut impertinentem, dubia, suspiciones, inquietudinem; si tempus vane transigitur in explicatione, ac si essent divinationes vetularum : absdubio sunt aut illusiones daemonis, aut phantasiae stultae, vanaeque imaginationes, quae caput obtundunt et vanitate implent, ac curiositate : tales enim sunt talium effectus causarum. Quando Dei sunt, velut prophetica luce gaudent in semetipsis, afferentes secum propriam intelligentiam : vel ut summum, si differtur, et reservatur haec Patri spirituali, afferunt interea pacem, humilitatem, et quietem; atque hujusmodi species accendunt, et inflammant vehementer ardorem charitatis. Si vero sint intellectuales infusae, sunt altae cujusdam contemplationis initium, et Raptus interdum inducunt. Quod si species sint impressae imaginationis, et phantasiae; dulcedinem causant interiorem, et exteriorem compositionem, lacrymas, quietem, bonosque alios effectus.

Caput Octavum.

Praxis contemplationis, quae habetur in esse substantiali animae magis arcano.

Habetur oratio ista per species impressas infusas, immediate receptas in intellectu; quae raepraesentan-

tes inde introrsum versus, incurrunt in substantiam vel esse substantiale animae, per modum speculi crystallini se habentis, unde reflectuntur species receptae majori cum vivacitate in ipsum intellectum, in quo actus vitalis cognoscendi producitur : et quamquam haec species in prima sui infusione subjicitur recipiturque in intellectu, per reflexionem tamen, et reverberationem oritur ab animae substantia, ubi ut in crystallino quodam speculo, suscipit posse repraesentare introrsum versus, quas hic Deus veritates animae declarat. Quamvis item non cognoscantur interdum adeo distincte, cognoscuntur tamen summa cum veneratione, tanquam custoditae in secretiori animae sinu, ac velut tabulario, ubi Deus has depositas tenet veritates. Porro licet hic intelligendi modus initio quidem terrorem animae incutiat; paulatim vero, prout experitur divinos majoris lucis, majoris certitudinis, et fiduciae majoris effectus, magis etiam libere respirat.

Quando daemon fingere satagit istiusmodi orationem per species, quas imaginatio suffundit; si aliquandiu producitur oratio, plerunque dolorem capitis affert, dubia, suspiciones, curiositatem, vanitatem, ac interdum in fortem desinit tentationem. At vero dum a Deo procedit, primum quidem fit per species infusas, quae ingentem in veritatibus istis divinis intelligendis delectationem, et facilitatem, animae ingenerant. Secundum affert secum actus Fidei, Spei, et Charitatis; et ita hic perficitur intellectus, ut etiam elevetur, perficiaturque voluntas actibus unitivis amoris, magnis humiliationibus, resignationibus, aliisque effectibus notae non vulgaris. Tertium in hac oratione interius sibi animae videtur simile quid speculo crystallino, et concavo, cujus in profunditate repraesentantur veritates divinae, secretaque coelestia, prorsus antehac incognita, et animae varios effectus, atque utilitates inducunt;

illam quippe suavi afficiunt horrore, pavore devoto, admiratione delectabili.

Hoc in articulo aliquoties anima reperitur jucunda, festiva, devota, confidens, et ingenti animata spiritu ad quodvis bonum aggrediendum, et ad implendas exacte, quibus tenetur, obligationes. Aliquoties vero invenit se implicatam, humilem, diffidentem de se, multum vero confisam Deo suo; nunc se se contrahit, nunc dilatat; modo amat sine timore, modo aliquantulum timet, sed semper cum amore : et prout species illae ascenderint, aut descenderint, illuminando, et calefaciendo; pari gradu ipsa immutatur animae substantia, et secretissimum sui esse (quod aliqui fundum animae appellant), et eo magis in amorem voluntas exardescit, atque hic ipse ardor fit adeo intensus, ut interius anima incendium patiatur. Expedit Magistris spiritus bene nosse, in quo haec oratio consistat, quam et ego inveni aliquando.

Caput Nonum.

De Locutionibus internis.

Disputant Doctores de modo, quo inter se Angeli colloquuntur : et relictis opinionibus, dico, invicem loqui, et alios aliis manifestare suos mentales conceptus, imprimente alio alteri species, et liberas quidem, si de actibus sint liberis, necessarias tamen, si alius applicat alteri species erga objecta spiritualia necessaria. Supersedeo hic tractare de modo, quo materialia objecta cognoscunt, an speciebus acquisitis, an infusis : iste autem modus per infusionem probabilior est.

Atque hac etiam ratione, quando Deus vult nobiscum interne loqui, speciem nobis impressam infundit, repraesentantem nobis veritatem, quam Deus significare nobis, et dicere intendit.

Species hujus indolis miraculose infusae solent esse perquam foecundae in repraesentando, et ad elevandum nostrum intellectum valde supernaturales. Gratia sunt actualis, quae per modum auxilii supernaturalis concurrit cum principio intelligenti vitali, et supernaturali. Solet autem tanta pollere vivacitate, tanta luce, tam excelsa suavitate, ac delectatione ; ut si anima non sit fundata bene in humilitate, ac propria cognitione, summa hujus gratiae tam dulcis, sapidaeque voluptas illam in transversum agat. Nec desunt Doctores, qui dicant, primos Angelos vi consimili delectationis spiritualis, qua velut inebriati sunt, apostatasse, incidisseque in vitium, quod vocant luxuriam spiritualem, principium illius superbiae, amorisque, quo propriam deperierunt excellentiam. Hoc etiam pacto anima inebriari potest delectatione, quae oritur ex praefato principio, et incidere in luxuriam spiritualem ; nimirum potest fieri, naturam nimis adhaerere delectationi, quae medium est, et affectu abscedere a Deo, qui est ultimus finis.

Certe in brevi hujus orationis spatio discitur magis, quam multorum studio annorum libros evolvendo. Et si roger, quomodo una sola species possit esse in repraesentando tam foecunda, ut plures simul veritates repraesentet ? Respondeo ad hoc, cui contigerit experiri, forsan bene capturum. Dico insuper, quemadmodum numerus, vel nota 2. repraesentat duo, et addita nota tali 0. repraesentat 20. viginti, superadditaque bis eadem nota, repraesentat 200. biscentum, si ter, repraesentat 2000. bis mille : ita dico, Deum addere quamdam virtutem divinam his speciebus, ut innumeras

recipienti veritates repraesentent. Quinimo tenent Doctores, duo distinctarum veritatum millia, quae ab Angelis inferioribus per duo itidem millia specierum cognoscuntur, ab Angelo vel Seraphin supremo posse cognosci una sola specie foecunda, clara, et splendenti.

Iste, quo Deus nobiscum utitur, loquendi modus, est principium Orationis Silentii : ubi anima Fide viva unita Deo cum una sola simplici veritatis hujus apprehensione, tacenteque intellectu, illum amat, laudat, extollit, gratias ipsi agit, adorat, veneraturque, uno solo affectu voluntatis, quae igne suavi, et amatorio inardescit.

Caput Decimum.

De locutionibus sensitivis internis.

Intellectus, et voluntas sunt pars superior, ubi donamur locutionibus internis intellectualibus per species infusas : et plerunque Angelus bonus est minister, quo mediante loquimur nos Deo, et Deus nobis.

In memoria sensitiva, sensu communi, phantasia et appetitu sensitivo cum parte inferiori, potest Angelus, tam bonus quam malus, infundere species intentionales sensibiles, quae veritates, vel mendacia, nobis repraesentant. Et quamquam ita sit, quod aliquoties in hac etiam parte habeantur locutiones internae sanctae, piae, valdeque devotae, et suaves; pluresque animae colloquiis recreantur ; quae in eadem parte miscent secum ipsis, cum Deo, et cum Angelo proprio : at vero talis eadem pars nimium obnoxia est fraudibus tam naturalibus, quam artificialibus, et praeternaturalibus dae-

monis; praesertim dum istae locutiones fiunt per modum impulsus interni, quo ducimur, ac velut impellimur, ut ingrediamur, egrediamur, dicamus aliquid, v. c. victurum infirmum, aut moriturum, quae ut quaedam semiprophetiae censentur. Certe cum homo rationalis debeat duci ratione, istae autem internae sensitivae locutiones ducere ipsum contendant affectione, quae passio est, vel inclinatione : liquido constat, periculosas futuras hujusmodi locutiones, quin et plerunque daemonis exstituras illusiones, vel amentis nostri capitis, cupiditatis, vel imaginationis.

Mulieres quasdam modicae capacitatis invenies, quae ob debilitatem capitis sui plurimis abundant locutionibus id genus, et subito habent obvias Animas Purgatorii, quae ab ipsis suffragia petunt : modulus quidam his solet esse particularis, et affectatus loquendi, suoque Patri spirituali dicunt haec, aut talia : Mi Pater, ex Dei mandato ego vilis creatura defero V. Reverentiae talem nuntium : aliasque similes fictiones, hypocrisi delibutas annectunt. Nullam Pater spiritualis de rebus talibus rationem habeat, imo a se totum vilipendi ostendat : ferat illas mulieres per viam recitandi, lucrandi indulgentias, visitandi frequenter Sanctissimum Sacramentum : jubeat meditari Novissima, notetque, si obedientia valent, et humilitate, ac si proprium judicium, et propriam voluntatem norint abnegare. Quod si nihil istorum faciant, suntque debiles valde in virtutum Moralium exercitio (quae sunt lapis lydius eorum, qui mentali vocant orationi), Pater spiritualis nihil ducat earum internas locutiones, nec revelationes, nec contemplationes, nec favores quoslibet, quibus se dicant praeditas esse : quia est perinde, ac sumptuosum erigere Palatium absque fundamento. Diaboli opus hoc est, non Dei : qui ut plurimum suos fundat favores in solidis virtutibus, humilitatis, patien-

tientiae, ac obedientiae atque his deficientibus, quicquid reliquum sit, suspectum est.

Caput Undecimum.

Sensationes animae in hujusmodi locutionibus internis.

Aliquoties Deus residet in anima veluti Magister divinus, ex cathedra docens sine vocum strepitu veritates incogitatas, ortas ex principiis infusis : atque tunc anima modo audit, auscultatque, quod sibi desuper dicitur; modo respondet amatoriis affectibus, tenerisque colloquiis, quo fit, ut dialogus amatorius animam inter, suumque Dilectum instituatur. Cujus rei praxis perspicitur in sequenti :

Ait Dominus : Fili, pax qua fruitur anima tua, mea est : caret ea Mundus, neque ipsam Daemon perfecte imitatur. Fili, ego sum fons, unde omnia naturae bona, gratiaeque promanant : ego ad libitum de meis bonis liberis dispono, et aliquando incipienti largiter, et gratis delicias impertior, ut ad quaerendum me ipsum obstringam; aliquando a perfectis meas subtraho consolationes, ut sese humilient.

Anima, dum veritates istas auscultat, attentissima perstat, modesta, humilis, verecunda, et suo velut nihilo submersa. Dicit cum David : Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam : et ut summum suspiria humilitatis plena, et gratitudinis extorquet. Deus autem, mox iterum prosequitur, dicens : Fili mi, tua in me

residet quies, ne cogites esse in irritum tempus, quod transigis audiendo me, verba enim mea sunt vitae. Tamquam Dominus ego voluntatem ingredior humanam, et quin voluntati vim faciam, ad me ipsam traho suaviter. Ego libenter ago cum animabus simplicibus, humilibusque, atque ipsas doceo, ut sistere non debeant in donis meis, sed per ea ut per gradus dirigere norint totum affectum in me.

Anima hoc in eventu cum recollectione notabili consistit, et summa cum admiratione, humili cuidam delectationi permixta; et quando postulat ordo loquendi, balbutientis parvuli ad instar male limatas quasdam expressiones eructat, et inquit : Pater, Deus, Dominus, Rex, Herus meus, et Anima animae meae. Alias ejaculatur anxia suspiria, et amasias teneritudines, quae instar flammantium facularum ad cor Dilecti pertingunt. Abundavit hoc orationis genere Thomas a Kempis in suo libello de Contemptu Mundi, quem omnes Viri spirituales frequentare debent.

Caput Duodecimum.

Praxis Orationis silentii, et quietis.

Loqui, et tacere, ad eamdem reducitur potentiam; et ut locutiones interiores sunt perfectio intellectus, et exaltatio Fidei contemplativae; ita Oratio silentii, quae gradus est suavis contemplationis, ejusdem pariter potentiae perfectio est.

Intellectus quasi os, et lingua est animae : voluntas quasi dentium vices gerit, et labiorum; quae dant ulti-

mam animae verbis, et rationibus formam. Quando intellectus discurrit, definit, dividit, deducit consequentias, veritates quaerit, judicat bonitates, idque libere, dicitur loqui : quando percipit haec eadem, dicitur audire : quando autem mens absorpta, imbuta, et immersa est in prima veritate, summaque bonitate, cum quadam simplici, et attenta objecti apprehensione, quin ultra discurrat, aut aliam interim veritatem attingat, nisi quam habet praesentem, dicitur esse in oratione silentii ; etenim tacendo fruitur veritate objecti, quam loquendo quaerebat.

Oratio ista potest comparari homini muto, qui contuendo attente penicilli praecellentis picturam ex solo illo contuitu interius in varios excitatur affectus ; nunc enim plorare notatur, nunc laetari, nunc demirari. Hac nempe ratione anima cum simplice illo intuitu, et apprehensione in praesentia sui Dilecti consistit : atque ut mollis cera in conspectu ignis ex toto, vel ex parte suscipit figuram sigilli ; sic et anima divino amore liquescens, suavissime suo unitur Dilecto, transferendo in se plurimas illius excellentias, quae hac unione ipsi appinguntur. Hic Fides credit, et cognoscit sine discursu : amor amat sine ullo fastidio, summa cum pace, gaudio, quiete, eaque tranquillitate, ut anima nullum videatur habere, cum tamen habeat vitalem motum : atque ut aquila quandoque sine alarum agitatione, solo primo volatu impulsa, in coelum evolat ; ita et anima tam suaviter ad interiora evolat Dei, Fide possessi, ut quod facit impulsu virtutis supernaturalis, multo sit majus, quam quod virtute facit naturali, et vitali.

Porro cum quies sit terminus motus, videntes aliqui tantam supernaturalem quietem in hac oratione silentii putarunt in ea nullam esse actionem, sed tantum passionem vitalem. Et quidem ut puerulus in Schola,

Magistro manum ipsius arripiente, calamumque elevante, literas efformat elegantissimas, cum se solo turpissimas fecerit lituras : sic etiam anima, per istam elevata gratiam, et unionem, ea delectatione, paceque donatur, ut inebriata obmutescat, quosdam licet actus amoris Seraphici eliciat, adeo excellentes, sublimes, et exquisitos, ut secreta quaedam Dilecti fruitio videatur, adeo ut solo uno hujusmodi actu longo tempore immaneat. Proh Deum immortalem! quas celsitudines, et raritates suavissima haec animae quies includit! Cum dicere conor, quod est in se talis oratio, sum tamen omnino impar propalandi modum illum secretum suavem, quietum et blandum, quo anima tacita quiescit. Anima sic muta se se affectibus explicat illum in modum, quo mutus aliquis per signa, cum verbis deficiat, intelligendum se praebet.

Isthaec oratio principium habet, medium et finem : initium est quaedam unio quieta, medium quaedam contemplatio tranquilla ; clausula est quaedam fruitio deliciosa; quae quidem cum Fidei obscuritate adesse simul potest, et cohaerere. Cuilibet horum statuum sua secreta insunt accidentia, favoresque varii, non necessario, sed ex supererogatione affluentes : inest notoria simul emendatio vitae, ac morum : inest peculiaris virtutum sublimatio, atque ingens omnium rerum temporalium contemptus.

Caput Decimum Tertium.

Exemplum materiale istam explicans Orationem.

Si Princeps quaedam, sedens in deaurata Regiae triremis puppi, dexterrimo gubernaculum moderante

Nauclero, flumine secundo, et aquarum tranquilla copia renidente, ripas inter luxuriantes, et florentes : si ea, inquam honestissima Princeps gubernaculo manum leniter applicaret, liquidum est hoc suo, ut ut exiguo, motu cooperaturam Nauclero in toto navigandi progressu ; esset vero tanta cum Principis quiete, ut videretur nobis parum aut nihil in suo itinere praestare. Quo exemplo aliquantulum explicatur modus, quo anima cooperatur, et aliquid praestat in oratione silentii ; ubi ipsa vix agit, idque in consortio praecellentissimae cujusdam gratiae, quae velut quaedam lux calorifica elevat Fidei habitum, et tanquam Nauclerus dirigit intentionem, quae gubernaculi gerit vices, elevatque, purificat, et perficit utramque intellectus, et voluntatis potentiam : quamquam perfectio, et nitor in intellectu, quam in voluntate largius emicat.

Tunc anima, quiete fruens Oratione ista velut in puppi deaurata triremis Regiae contemplationis, sine oblongorum remorum prolixis discursibus, sine desideriorum extensorum protensis velis, sine laboriosorum phantasmatum funibus transversariis, sine humanarum scientiarum plurimis armamentis, sine variarum, ac subtilium cogitationum nautica prompta multitudine, quae per intricatas sophisticarum consequentiarum scalas celeriter conscendat ; cum illa tam suavi, quam simplici praesentia Dilecti sui, qui eam comitatur, ducit, et trahit, se ferri permittit secundo flumine, affectu suavissimo. Aliquoties ipsius cor teneritudine adstringitur, alias dulcedine dilatatur ; et uti sal in aqua resolvitur in hoc recognoscens assimile suum elementum ceu sui esse principium ; ita felix haec anima tacendo, et quasi malacia detenta aestu amoris, divinis his favoribus liquescit.

De ista unione fusior infra, ubi de contemplatione Seraphica, sermo redibit. Sat est modo scire, hic

interdum contingere raptus, ecstases, visiones, revelationesque intellectuales, quas perfecte diabolus nequit imitari : alia item sunt symptomata secreta, quibus explicandis verba deficiunt. Hic etiam solet adesse passio quaedam divina, suavis et delectabilis aeque ac amatoria, quae animam suspendit, liquefacit, elevatque; pax adest pariter, qua fruitur in cunctis suis affectibus, cogitationibus, ac desideriis anima, quin horum quicquam exorbitet ob illam eximiam fruitivam quietem, qua tenetur. Hic Dominus mille loquitur teneritudines modo ineffabili, quas anima dum auscultat, obmutescit : et ut motus aliquis sine verbis per signa se facit intelligi, sic et illa in hoc profundo silentio, modo per me inexplicabili, Dilecto suo quamoptime respondet. Dico nihilominus esse notas emphaticas, et ex condicto secretas, in quibus haec animae silentis locutio muta consistit : illa se scienter explicat, et Deus ipsam capit : quod autem ego id exponere nequeam, non multum interest.

LIBER SEXTUS

De Contemplatione Seraphica.

Caput Primum.

Quomodo Contemplatio Seraphica sit perfectio voluntatis?

Diximus supra, quemadmodum Contemplatio Cherubica sit perfectio intellectus, Fidei, omniumque virtutum intellectualium, et habituum scientificorum ; modo explicandum nobis restat, quomodo Contemplatio Seraphica sit perfectio voluntatis, et Charitatis omniumque virtutum moralium, quae sunt ancillae Charitatis, et in voluntate morantur.

Est itaque Contemplatio Seraphica talis indolis, ut quando ad sublimem gradum ascendit, et augescit in voluntate, omnes omnino, quae in voluntate sunt, virtutes reddantur meliores, et locupletentur hospitis adeo nobilis societate. Charitas enim Theologica, cum sit in se animae opulentia, et quasi aurum obrizum, magnique pretii, accedente ardore Seraphico, nobilitatur valde in spiritualibus ; ad modum quo aurum in temporalibus, si adamas ipsi, vel carbunculus adjiciatur, unde auri valor, aestimatio, et pretium extollitur. Propterea falluntur splendide, qui putant ascendere, aut perfici charitatem, quin pariter crescant, et melio-

res fiant virtutes morales : ita ut si Contemplatio Seraphica sit perfecta ut octo, virtutes morales Patientiae, Humilitatis, Obedientiae, et Paupertatis, perinde soleant esse perfectae ut octo. Dicere, animam posse perfectam habere contemplationem, et virtutes morales imperfectas, est rem non capere ; nam est perinde ac dicere, hominem existere posse auro, argento, atque unionibus praeclare divitem, simul autem victu, vestitu, habitationeque male provisum : simile, inquam, est dicere posse hominem, Fide, Spe, et Charitate contemplativa locupletem, esse inopem virtutibus moralibus, quae sunt istius domus supellex, atque hujus Principis Dominae ancillae. Sunt ergo haec impossibilia, sed pari passu quo ascendit, crescitque contemplatio, morales etiam virtutes perficiuntur.

Aveo magis minutim explicare perfectionem, quam ab actuali gratia contemplationis Seraphicae recipit Charitas Theologica, exemplo herbae vitreae : quae in agro quidem vita vivit vegetativa, qua crescit, nitet, virescit, et luxuriat; eademque mox in fornace vitri calore subacta, convertitur igne in massam quamdam mollem, pulchram, rubram, et splendentem, ex qua mille formosorum, et resplendentium vasculorum formae confici queunt.

Haud aliter ardor Seraphicae contemplationis, quae gratia est actualis, similes addit excellentias in Charitatem Theologicam modo spirituali. Primo quippe amor divinus hic valde accenditur novo, qui sibi accrescit, ardore. Secundo eximie venustatur decore novo, et splendore in se derivato, quando ex igne in carbone (ut erat antea Charitas) modo cum hac nova gratia in flammam quamdam luminosam, calorificam, splendidamque convertitur, qua res Dilecti alio valde modo, quam antea, deteguntur. Tertio redditur similis massae molli, et rubrae : ac quemadmodum ex ista

variae vasculorum vitreorum formae conficiuntur ; ita pariter ex amore divino praeparato, et veluti per novam hanc gratiam in massam redacto, mille fiunt formae, ac mirabiles amoris modi.

Tunc enimvero agimus cum Deo nostro idiomate illo amatorio, quo cum ipso ardentissimi Seraphini solent communicare : colloquimur linguis igneis affectuum, tam incensorum, quam incognitorum antea nobis, et quos divini duntaxat amantes bene capiunt. Et quemadmodum homo febricitans pari passu ac febris in suum corpus ingruit, appetitu minuitur cibi, ac dulce ipsi redditur amarum, et quod antea delectabat, modo illi parit fastidium ; ita et anima istum divini contemplativi amoris ignem experta, quo gradu magis hoc incendio ignescit, eodem in terrenis desideriis invenit decrementum : quantum cor magis adhaeret Creatori, tantum evellitur a creaturis ; ingens contra oblectamenta corporalia, et visibilia taedium succedit : quod antea in humanis tanquam dulce appetebat, redditum illi est amarum : contemptum reponit honoris loco, ipsumque honorem humanum reputat inhonorationem : quicquid creatum est fastidium sibi creat, et onus, ac tunc tantum tantisper recreatur, quando meminit se morituram corpore, Deumque visuram, et divina tunc secure habituram. De hisce affectibus uberior deinceps sermo redibit.

Caput Secundum.

Praxis igneae Contemplationis.

Amorem Theologicum divinum comparavi supra herbae, ex qua vitrum conficitur, et ardorem Seraphi-

cum ipsi adjunctum contuli cum ardore illo, calore intenso, venustate, ac splendore, quem massa vitri acquirit ope ignis. Nunc vero voluntatem aequiparo cum furno vitris accenso : et actus unitivos contemplativos, qui adeo sunt formis, modis, rationibusque differentes, comparo vasis vitreis, et eorum elaborationibus ; oriunturque a gratia contemplativa, quae tanquam massa est, unde tam varii, et mirabiles modi, actusque procedunt.

Initium duco ab amore contemplativo igneo : cum etenim tanta insit cum divini amoris igne similitudo, cogimur uti terminis propriis ignis materialis, ad explicanda ignis spiritualis arcana. Quemadmodum igitur ignis elementaris duas habet partium rationes, alias densas, intensas, et caloriferas, quae se insinuant versus interiora, et secretiora ligni, ibique veluti dominantur ; alias vero subtiles habet, agiles, pellucidas, ac delicatas, quae in flammas convertuntur : ita ignis contemplativus, alios habet actus unitivos valde intensos, caloriferos, ac versus animae interiora tendentes, summa cum affectuum contractione, ac potentiarum vitalium omnium recollectione : atque uti accensa pruna, quanto magis ab igne penetratur, tanto magis resolvitur, paulatimque in minutum cinerem convertitur, quo ipsa tegitur, et melius conservatur : ita pariter quo magis hic ignis amoris divini, et contemplativi versus animae interiora se reducit, eo magis anima propriae cognitionis cinere obtegitur, et per hanc humilitatem, tanquam per spiritualem cinerem, iste Charitatis ignis melius conservatur. Quemadmodum item quando multi in prunas pastilli conjiciuntur odoriferi, ascendunt suffimenta conversa in exhalationes, affatim sensum olfactus recreantes : ita quando anima divini amoris affectibus accensis abundat, virtutum moralium affectus ceu vapores cum incendiis amoris exhalantur.

Amat anima, et adorat : amat, et se se humiliat; amat, et resignat se, appetitque odedire : amat, et quos patiatur labores desiderat : amat, et peccata praeterita deplorat.

Ad haec uti ignis in truncum ingruens, qui bis decies 25. librarum pondere constat, cum penetrat illum, adeo reddit levem, ut ne quidem pondere gravitet 20. librarum : ita et amor, si superet voluntatem, et inde supereffluens in cor exundet, corpori etiam communicat qualitatem spiritualem ejus activitatis, et efficaciae, ut in ecstasim raptum, velut spirituale illud fiat : quare si antea centum erat libris grave, mox in ecstasi, quam iste suscitat igneus amor, ita fit leve, ut ne ad quatuor quidem uncias pondus deveniat; nec semel ita leve fit corpus, ut pluma. Grandis est amor, qui ardet in furno voluntatis : et ut massa vitri calore jam candens donatur forma, et figura juxta varios typos, adjacentes furno; ita et iste amor accommodatur virtutum moralium exercitio, quae magis propriae sunt statui uniuscujusque. Bona est contemplatio, quae se accommodat, et attemperat obligationibus, ad quas quisque tenetur.

Caput Tertium.

Praxis flammeae contemplationis.

Quemadmodum ignis elementaris partes habet quasdam subtiles, diaphanas, tenues, et pellucidas quae in pulchram convertuntur, et splendidam flammam, quae magna cum agilitate movetur versus ignis sphaeram

existentem in concavo coeli Lunae, quo suo motu demonstrat appetitum, quem habet expediendi se a titione nigro, suo pabulo : id ipsum reputo de amore contemplativo flammeo, cujus actus vitales, subtiles, lucidi et agiles, ejus sint indolis, ut semper cum anxietatibus amatoriis cor sursum Deum versus corripiant, deperiendo ipsum videre, animamque a nigro sui corporis titione liberam intimius uniri, vivaciusque cum Deo suo. Affectus hi quandoque in anxietates abeunt valde sollicitas, quae cor tenere affligunt, et animam torquent suaviter; quod videat non posse tam cito liberari a corpore, ut vivacius suo uniatur Deo, quem in parte intellectuali per simplicem cognitionem Fidei vivae, ac luminosae, praesentissimum habet. Cognitio haec flammam quamdam amatoriam excitat in voluntate, quae vivis amoris flammis omnia animae interiora succendit, et exardescere facit.

Voluntas amore divino inflammata, producere interdum solet in organo sensibili cordis qualitatem quamdam spiritualem, aut corpoream, quae nonnunquam, cœlesti quadam suavitate derivata, illud inebriat. Quandoque vero inflammat calore sensibili, qui ab invisibili exoritur divini amoris flamma, et ardet, febrimque aliquando excitat novo alterationis modo : unde sanguis inflammatur, vel cor insolite agitatur, aut os suffunditur rubore. Quinimo agnovi quemdam, qui cordis latus rubicundis plenum vesiculis habebat, quando hanc illi Deus communicabat orationem.

Quando cum vi amoris flammei accedit mentalis excessus, ecstasim causans corporalem; tunc enim vero corpus ecstaticum, non modo plumae induit levitatem, verum etiam flammae agilitatem imitando, conscendit per aera. Et quemadmodum ignis missilis, ut ut constet corpore gravi, quamdiu tamen ardet, per aerem cum agilitate fertur, extincto vero igne, in terram cadit in vi

corporis superstitis : simile quid contingit praedictis corporibus ecstaticis, quamdiu enim durat ignis amoris flammei, communicatur ipsis qualitas agilitatis per illud spatium breve, qua feruntur in aera, qua vero finita, in terram cadunt. Oritur ista ecstasis a principio infuso, non dependente a phantasmatibus : atque adeo, etsi corpus otietur, et sensibus destituatur, pars superior animae in altissima contemplatione, unioneque cum Deo versatur : quae ad extremum ingentem personae relinquit verecundiam, modestiam, circunspectionem, humilitatem, atque miseriae propriae, debilitatisque cautissimam suspicionem.

Caput Quartum.

Praxis conformativae, et resignativae contemplationis.

Propria voluntas nostra, et proprium nostrum judicium, armillae sunt summi omnium pretii apud homines, a quibus in custodia per nos habitis, ebulliunt nostri defectus : quando vero gratia Seraphicae contemplationis suae nos facit potestatis, sine mora resignamus, et fideli traditione remittimus in manus Dilecti omnia nostra placita, et cupiditates. Atque uti vitrarius ex massa vitri, bene per ignem praeparata, et insigniter purificata, omni eo secluso, quod ex herba, unde confecta est, continebat terrenum, et opacum, modo frustum in figuram Angeli conformat, modo aliud in figuram Seraphini, modo in figuram cujusdam Virginis, aut Martyris, vel Confessoris, ad Artificis libitum

quin massa quicquam habeat voluntatis in eo, quod facit dominus illius : idem omnino facit Deus, tanquam supremus Artifex operis istius, quando invenit voluntatem adeo mollem, puram, teneram, et sine desideriis, vel ad res materiales affectibus; adeo intentione puram, adeo in abnegatione securam, adeo solide in vera humilitate fundatam, repente illi quamdam Angelicam subtilitatem communicat in intelligendo, quoddam incendium Seraphicum in amando. Uti rursus in aqua, quae multo calore fervescit, subsiliunt, et exaltantur bullae quaedam ingentes, quae illico decidunt, et retrahuntur : sic in anima ista succensa, et quae isto fervet calore divino, exiliunt Martyrii desideria, fames et sitis patiendi pro Dilecto, proposita se se amplius et amplius cruciandi paenitentiis, aestimatio divinorum, et humanorum contemptus; qui omnes sunt velut ingentes quaedam bullae amoris, qui tot tantisque modis gustum Dilecti explere desiderat, impleturus omnia pura cum obedientia.

Perstat attentissima tunc anima, exsploratura quid suus Dilectus velit, quid ipsi placeat : si tunc Deus velit, ut tormenta sustineat, gustus sibi erunt tormenta ; honores ipsi videntur opprobria : vestes viles, laceras, ac refectas pro telis reputat pretiosis : jejunia, cilicia, flagellationes, et abstinentias pro exigua poenitentia ducit. Quod si Deus illi demonstret, futuram esse voluntatem, ut in Infernum iret; hoc posito, libentius in Infernum iret, quam in Cœlum. Quin imo simplici tunc intuitu percurrendo tormenta damnatorum, quantumvis cognatorum, et amicorum, non tristatur, attento hoc esse Dei voluntatem ; sed potius laetatur ob hoc, quod divina voluntas in omnibus adimpleatur. In isto rerum articulo affectus ipsi naturales conscendunt in morales, et affectus boni magis elevantur : Spes videtur secura quaedam fiducia : obedientia hîc gaudet speciali

nimis excellentia. Felix anima, quae aliena virtute tot, tamque diversas personas modo quodam divino repraesentat! hac tamen abeunte gratia, redit anima in suam pristinam egestatem.

Caput Quintum.

Praxis de nuditate contemplativa.

Nuditas spiritualis consistit in eo, quod ambo appetitus, tam spiritualis, quam sensitivus, sint avulsi, mundi, et puri ab omni creaturarum affectu; quin ament, desiderent, petant, aut appetant, quicquam pro tunc aliud, quam Deum solum. Ac licet verum sit, Deum per attributum immensitatis esse intime praesentem per essentiam, praesentiam, et potentiam in omnibus creaturis tanquam causam universalem, et primum principium, a quo pendet ipsarum esse, et conservatio : quando anima ex dono divinae gratiae ad istam, de qua loquimur, devenit puritatem et nuditatem, Creatorem induere solet unione illapsus. Est autem unio illapsus, ubi Deus, tanquam primum principium vitale, ac vita supernaturalis vitae nostrae naturalis, quin causa sit formalis, sed causa efficiens, assistens, et elevans, communicat utique potentiae intellectus, et voluntatis, novum quemdam vigorem, et vitalitatem, ad modo quodam divino intelligendum et amandum.

Nam quemadmodum ignis substantialiter immissus in poros ferri, secreto quodam illapsu facit, ut ferrum, etsi durum sit, et siccum, obscurum, ac frigidum, ardeat, luceat, comburat, et splendeat, ac si foret ignis, cum non sit : similiter anima divina virtute Deum

induta, intelligit, amat, gaudet, videt, audit, odoratur, ac sentit divine : odoratur sine olfactu odorem quemdam spiritualem, qui non est terrenus; discernit saporem, non palato, ac lingua, sed alio excelsiori modo, cujus explicandi verba mihi desunt : aliis videt oculis alia quaedam accidentia, invisibilia corpori, animae vero valde perspicua. Et ut piscis in aqua, quocunque se vertat, et convertat, aliud non reperit nisi aquam : sic anima deificata, sive sursum, sive deorsum, tam intra, quam extra se, in coelo, et in terra non reperit nisi Deum, et Dei amplius. Rursus ut Aquila inconniventibus oculis intuendo Solem delectatur : ita felix haec anima simplici tenetur intuitu, sine discursibus, nec aliorum objectorum scientiis, Solem justitiae, qui est Dilectus ipsius, contuendo. Adhuc in hac vita summam, pacificam, jucundam, et quietam sentit delectationem : unoque solo actu delicato, incenso, et constanti, multo perseverat tempore, quin interea possit anima distrahi ad alia. O utinam possem narrare secreta, et delicias, quibus iste articulus refertur!

At vero quemadmodum vestis pretiosa vel Attalica muniri consuevit grossa quadam tela, ut magis duret : ita Deus solet favores istos eximios munire magnis corporis doloribus, et acribus derelictionibus animae. Credito mihi, honores quilibet mundani, divitiae, lautitiae, ac reliqua omnia bona temporalia, non ita possunt hominem plus justo efferre, ut bona gratiae; praesertim si vel per quadrantem donetur apice contemplativae suavitatis, quae ad instar vini generosi nos inebriare solet. Atque hanc ob causam Deo curae est haec diluere aqua mille dolorum, aerumnarum, et persecutionum, sine quo rara est humilitas in tanta sublimitate.

Caput Sextum.

De solitudine affectiva, qua interdum afficiuntur contemplativi.

Decipiuntur splendide, qui cogitant contemplativos in eodem semper statu permanere : quin imo nihil mutationibus magis obnoxium est, quam contemplatio, ubi ariditas summa solet annexa esse suavitati, absentia Dei poenalis solet quasi pariete interjecto cum deliciosa praesentia ipsius habitare, afflictioque in contemplativo magnam cum consolatione affinitatem sortitur. Nec modo animus est agere de derelictione obscura, poenali, et acri, ubi Deus cum gratiis, et favoribus se se nobis abscondit; sed tantum de solitudine affectiva, quando anima deliciis spiritualibus assueta, non illam sentit, quam vellet, specialem dulcemque praesentiam Dilecti. Tunc erumpit in maestas, et teneras querelas hujusmodi.

O mea pulchritudo, quam tarde te agnovi, et quam celeriter amisi ! Ego sine te, sine me sum, et te amisso, amitto me : sicut enim ego in te invento, invenio pariter me, ita et te amisso, consequens est, ut amittam me. Satietas sine fame, quo ivisti ! Venustas sine naevo, ubi te abscondisti ! Veritas sine fraude, ubi me reliquisti ! O vita jucunda vitae tristis meae, quid prodest in hac vita tristi vivere sine te ! O Rex afflictae animae meae, ubinam es ! quidnam agis ! quid moraris ! Ita ne mea haec solitudo neutiquam movet bonitatem tuam ! Usquequo, mi Iesu, vivam sine te ! Iesu vitae meae, quis poterit patienter ferre hanc tam longam absentiam a te !

Crescente hoc affectu, tot amatorii sensus congerun-

tur, ut anima ex nimietate affectionis, et teneritudinis obmutescat. Et quemadmodum multis per unam aliquam januam junctim egredi tentantibus, nemo ullus egreditur, eo quod quilibet cuicumque sit impedimento : ita pariter tot sunt teneri sensus, qui simul hic se se per voluntatem insinuant, ut unoquoque alium impediente, nulli exitus liceat : indeque anima restat attonita suavi quodam horrore, languoreque amatorio. Quodsi orationis hujus vis est valde interior, nihilque ipsius corpori communicatur, durat non parum, et reficit magis : si vero anima in tenera erumpat colloquia, et amatorias vocales querelas cum Dilecto, solent lacrymae, teneritudo, aliaeque supervenire corporeae alterationes. Hoc utique, quamquam recreat multum, parum durat, utpote violentum.

Caput Septimum.

Soliloquia animae, quando suum Dilectum invenit.

Differt contemplatio a scientiis humanis, nitentibus primis principiis, unde eliciuntur consequentiae ; contemplatio enim nullo nititur principio, ex quo fixae fiant consequentiae ; quasi post hunc passum debeat certo succedere ille alius passus, vel gradus, contemplationis : vel qui hanc apposuerit, aut illam diligentiam, immediate devotione donetur, lacrymis, et dulcedine : quin imo tota contemplatio pendet magis a contingentibus, et inopinatis eventibus, quam a consequentiis necessariis. Studiose id dico, ut nemini subeat cogitatio, hunc passum contemplationis illi successu-

rum, et non alteri : sed loquor de rebus, quae aliquibus, non omnibus, solent accidere personis. Dico igitur, Soliloquium affectivum accidere consuevisse, quando anima suum Dilectum invenit : atque uti soliloquium praeteritum triste fuit, et luctuosum, ita praesens solet esse jucundum, plenumque placida quadam suavitate.

O Jesu vitae meae, ubinam absens morabaris! Vitae Sol meae, quaenam te nubes abscondit! Gaudium animae meae, quo te recepisti! Mei cordis Dilecte, quam exhilaratur pauper anima mea tua praesentia amabili!

Hoc in passu solet anima ex pura teneritudine, ac suavitate, suspendi multum ; qua ratione laborat magna remissione in operationibus sensuum exteriorum : aegre audit, videt, ac sentit, et ad loquendum interim cum hominibus inepta est. Et quemadmodum qui crystallino est proximus speculo, quod impetitur a Sole, nova quadam ex vicina reflexione induitur claritate, ac splendore, ob hoc solum, quod sit in speculi crystallini praesentia; non secus anima interdum in hoc passu solet esse in praesentia Dilecti sui, velut prope speculum crystallinum, unde multi prosiliunt radii lucis, dulcedinis, claritatis, ardoris, fervoris, aliaeque gratiae consimiles, quae de novo ad alia tenera, et amatoria colloquia compellunt, hac dicendi ratione.

Deus meus, vita mea, laetitia mea, pulchritudo Seraphinorum, quî fieri potest, ut Majestas tam amabilis tanto me amore prosequatur, cum sim nequitia sic abominabilis! Domine, ac Pater animae meae, quid Angeli dicent, si videant oculos te conjicere in sterquilinium ita horridum, quale sum ego? Dilecte animae meae, numquid tu Sapientia Patris non es, nec decipi, nec decipere potens ? Quomodo igitur sine deceptione fieri potest, ut tua Bonitas adeo amet nequitiam meam? Amem ego te, ac per me fiat, ut subito moriar.

Honorem ego te, quantumvis expensis ignominiarum mearum. Jam, o Deus, aliud quicquam nolo praeter te : quicquid reliquum est, nauseam mihi creat.

Quod si ejusmodi affectuosa colloquia valde sint interiora, durant, et recreant multum : si tamen exterius prodeant gemitibus, lacrymis, singultibus, aliisque sensitivis actionibus, cito finiri solent.

Caput Octavum.

Praxis contemplationis, quae Nebula dicitur spiritualis.

In contemplatione cogimur interdum uti terminis metaphoricis, e rebus materialibus acceptis : et talis est iste Nebulae terminus. Quemadmodum enim si quis nubem, aut nebulam ingrediatur, non videt interim, nisi quod simul intra nebulam cum illo est, et loquitur cum ipso : ita pariter animae, quando ista gratia donatur, obtegitur omnis omnino creatura; ut melius Creator detegatur.

Est igitur haec gratia lux quaedam valde clara, pura, fortis, ac splendens, quae ita nobis Creatorem discooperit, ut cooperiat prorsus quamlibet creaturam : idque oritur ex vehementi attentione, intentione, ac vivacitate, qua gaudet Fidei vivae cognitio, qua Deum valde praesentem, atque unitum nobis habemus. Qua item ex cognitione oritur in voluntate ardens quaedam flamma, ita occupans, et rapiens in Creatorem affectus, ut interim aliud nihil appetere, velle, aut desiderare prorsus sciat. Ad eum quippe modum, quo dum meridiana Solis lux ingruit cum ingenti vi oculos imbecillos,

illos excoecat, et tenebris obvolvit : similiter interdum accidit cum hac luce infusa, quae ob suam ipsam cum excessu claritatem, vim et vivacitatem, cum alias potentia nostra intellectualis adeo sit debilis, istam offuscat, et offendit quodammodo, ac obcoecat, quasdamque in ipsa tenebras inducit, per quas pavore suavi, et delectabili terrore, humilique, ac tenera contradictione, paulatim potentiam reficiendo procedit, quousque capax fiat lucis hujus insolitae : sicut enim Columna Israelitarum ipsis afferebat lucem, tenebras Aegyptiis ; ita lux, de qua est sermo, animam erga divina illuminando, tenebras offundit erga humana. Hîc anima est ad instar Rubi Mosaici, qui dum arderet, non comburebatur.

Porro cum iste passus contemplationis sit valde pacificus, et tranquillus, vocatur etiam Somnus, non corporis sed animae. Si vero anima intra se ipsam absorpta manet, dicitur Sepultura. Interdum anima in hoc passu invenitur ad instar fluminis, placidi simul et profundi, cujus profluens quorsum feratur, oculis percipi haud potest : si vero parvam illi paleam injiciant, quae supernatat, ex motu paleae, agnoscitur, quo feratur flumen. Unio, qua hîc anima gaudet, adeo est profunda, pacifica, quieta, et tranquilla, et ab omni sensibili adeo remota, ut tunc bene percipi nequeat, si anima quicquam agat, vel duntaxat patiatur ; cum actio haec fit perquam similis passioni cuidam vitali. At vero si tunc erumpit tenerum aliquod suspirium, vel amatoria quaedam erga Dilectum expressio, aliusve id genus affectus, qui ad instar paleae in hoc coelestium deliciarum fluvio eminet, ac supernatat ; inde agnoscitur, animam se movere vitaliter erga Deum : nam sine actione, nec passione vitali immanente, nec est nec esse potest contemplatio. Necessaria est animae in hac Oratione humilitas solidissima : sine qua facillime

peribit, correpta vanitate. Dum quis ab eadem exit contemplatione, de re habita aegre potest reddere rationem : quin vidi quandoque istos impeditioris, et tardioris linguae ad explicandos se, ut Moyses erat, postquam ad Dominum loquutus est.

Caput Nonum.

Praxis Libertatis Spiritus.

Habet anima nostra partem unam superiorem, quae est intellectus, et voluntas; et aliam partem inferiorem, quae est omne sensitivum, internum, et externum. Dum anima informat corpus, non potest aliquam speciem intelligibilem recipere in intellectu, quin prius ingrediatur per aliquem quinque sensuum : inde migrat in sensum communem : hinc ascendit in imaginationem : unde intellectus agens, proficiendo ex hujusmodi phantasmatibus, eadem extenuat, et a suis materialitatibus denudat : quando autem jam est spiritualizata species, imprimit ipsam intellectui possibili; ubi eadem simul cum intellectu isto possibili evadit principium operationis vitalis et intellectualis : sicque anima intelligit objecta, ipsis mediis sensibus applicata. Et hic est ordinarius intelligendi modus in anima, quamdiu corpus informat.

Caeterum si Deus (ut absolute potest et miraculose) independenter omnino tam a sensibus internis, quam externis, intellectui quamdam infunderet speciem spiritualem, quae objecta repraesentaret divina, et supernaturalia, quorum amore accenderetur, et exardesceret voluntas : haec talis Oratio vocaretur Libertas

spiritûs : quod aliud non significat, quam partem superiorem, quae intellectus est et voluntas, in tali Oratione liberam esse, ac independentem tam a sensibus internis, quam externis; siquidem principium, cujus auxilio fit, intellectivum, non est acquisitum mediis sensibus, sed infusum immediate a Deo.

Qui huic Orationi vacat, alto potest comparari monti, cujus vertex, si mediam aeris regionem transcendat, peregrinis non subest impressionibus, quantumvis ad ipsius partem declivem tempestates ingruant, grandines, et turbines. Ita huic evenit contemplativo, cujus fastigium, aut pars superior, nimirum intellectus, et voluntas, cum infusa gratia, quam recipit, ad eam Orationis conscendit altitudinem, ut pro tali rerum articulo nec inquietent, nec inquietare illam valeant distractiones, ariditates, tentationes, imagines, et aliae impressiones peregrinae, quae solent contemplativum, quantumvis spiritualissimum, in Oratione adoriri. Neque refert, adjungi tunc occupationes externas videndi, audiendi, loquendi, per sensus externos, qui sunt pars quasi declivis in isto contemplationis monte. Uti etenim sensus non adjuvant, nec cooperantur ad istam Orationem ; ita quantumcunque ipsi distracti, nihil obsunt oranti. Qui ergo in ista versatur oratione, duas videtur habere naturas, cum duplicium operationum modo in eodem supposito : quantum ad animam, operatur supernaturaliter cum principio infuso; quantum ad corpus, operatur naturaliter cum principiis acquisitis : pars superior intellectus et voluntatis intelligit, amat, gaudet, uniturque affectibus secretissimis cum Dilecto suo, quin sensus aut impedimento sint, aut juvamini : pars inferior sensuum cum hominibus conversatur, ac si nullum in anima interius habeat impedimentum. Et in hoc sita est libertas spiritus, quae admodum paucis datur animabus.

Caput Decimum.

Quod contemplativi corporalibus indigeant interdum recreationibus.

Quemadmodum Aquilae praeter alas, quibus aethera volatu petunt, pedibus donatae sunt, quibus egent, quo per terram incedant, et quandoque sterquilinia rostro admordeant; ut vegetiori postea corporis nisu in coelum volatu assurgere queant, et Solem inconniventer contemplari : similiter contemplativi (maxime si recollectioni sint multum addicti, et inclusi) praeter alas contemplationis indigent pedibus honestae alicujus recreationis, debentque velut primoribus saltem labris degustare fimentum gustuum, et recreationum temporalium, quae licitae sint, honestae, ac suo proportionatae statui; quales sunt, spatiari aliquantulum in horto, vel aperto campo; parcere die illa nonnihil distributionibus fixis : anticipare mentalem orationem : omittere aliquas non necessarias poenitentias, admittere aliquid extra solitum lautitiae in cibo, potu, risu, et conversatione; gaudere aliqua decente Musica, cantare decenter, similiaque; nam saepe quassatur corpus, et salus affligitur, ex nimia occupatione, atque attentione interna. Hanc ob causam praestat subvenire aliquanto amplius hordei portione, temporalisque levaminis, asello corporis; quo melius inserviat animae, atque majore cum alacritate ad gratiae nutum gradiatur : hoc namque, si praecaveatur nimietas, sublevat corpus, et salutem conservat, sine qua aegre poterit in exterioribus exerceri virtutibus verrendo, lavando, se affligendo, vacando studio ad concionandum, et administrandum Poenitentiae Sacramentum : sine quibus exterioribus

virtutibus debiles, tepidae, ac remissae solent esse virtutes interiores. Certe si homo, habitus in Communitate aliqua pro spirituali, titulo infirmae valetudinis sero e cubitu surgit, mature lecto cedit, deliciolis, et privilegiis, particularibus utitur, solet non levi scandalo esse Communitati.

Quare ut in hoc non deveniatur extremum, expedit usui habere interdum temperate recreationes corporales : hoc etenim ad conservandam salutem, ad interioris hominis levamen, et ad fovendam charitatem, unionemque fraternam conducit : et quantum spiritualibus austeris, melancholicis, et ingenii asperi videtur molestum, tantum a spiritualibus probatur discretis, mitibus et prudentibus. Concludo proinde, vitiosum esse utrumlibet extremum, et expediens esse, ut qui dediti sunt orationi, aliquibus in communi levaminibus recreentur : nec referre, quod recusentur ab aliquibus in particulari.

Caput Undecimum.

Praxis Contemplationis obscurae.

Inepte Mundani putabunt, vitam contemplativorum esse otiosam : cum re ipsa sit laboriosa, et infinitis referta crucibus, et difficultatibus, quae in virtutum moralium exercitio reperiuntur. Unde perquam sanctum illud duco institutum, quod ea ratione utitur solitudine, ut vitae Communitatis suo tempore non desit : ita enim quod in contemplatione circa fraternam charitatem docet speculatio, in praxim mox deducitur inter fratres. Vita solitaria fraudibus abundat, quae in

Communione deteguntur. Contemplatio ingenerat sanctitatem aliquantulum speculativam : moralium autem virtutum exercitium sanctitatem gignit omnino practicam, ut videbimus.

Jam vero in Contemplatione, quam dicimus Obscuram, nullis, puto, verbis exprimi sufficienter potest quid agant, et quid patiantur paucae illae animae, quae deveniunt in hunc felicem statum, in quo nimirum anima, contrariis cogitationum, et affectuum fluctibus agitata, dum vehementer timet, quin et de propria salvatione dubitat, altissimam interim obtinet Orationem, licet ipsa reputet esse nullam. Praesentia et unio, quam hîc anima cum Deo habet, tam fortis est, quam laboriosa, tam obscura, quam afflictiva : consistitque in fame quasi canina, et insatiabili siti Dei, quem quaerit, nec tamen invenit, ut sibi quidem videtur : cumque valde intime sit in tali anima, longissime distare ipsi videtur. Sensatio hîc spiritualis est vehemens, interior, sociata miserabilibus, non prolatis ore, querelis : gemit anima, plorat, crepat interius, quin exterius expromat quicquam : et si quid redundat in corpus, totum illud disrumpitur, tristatur, affligitur, et intensissimos sentit dolores, quorum remedium in solo interiori levamine reperitur. Tota vis hujusmodi orationis in duobus punctis consistit : aliud est ingens Deo placendi desiderium : alterum est ingens pariter timor offendendi Deum. Utrique hi affectus, cum debito careant complemento, ut anima putat, continuo torquent, et incomparabiliter ipsam : quae perstat in praesentia quadam afflictiva Dei sui, figurati vivide ut admodum irati, perterrefacientis Majestate, opprimentis Magnitudine, confundentis sua Justitia : cumque in se ipsa tantam detegat debilitatem, miseriam, infelicitates, et defectus, pudore afficitur, confunditur, contrahitur, seque taedioso quodam deliquio

invenit obvolutam, tormentum omni comparatione majus inde perpessa. Quo tam arcto, et afflictivo amplexu Dilecti sui, reperit aliquoties affici poena, nescio quomodo sapida, qua nolit carere. Ac licet istiusmodi lucta molesta sit, sentit anima in se affectum quemdam, qui amore ipsam accendit; quamdam ingentem conformitatem, quae luctam praedictam admittit; quamdam Dei praesentiam, etsi afflictivam, et summopere salutarem : siquidem exaltat omnes virtutes morales afflictivas, ut sunt resignatio, patientia, humilitas, mortificatio, constantia, fortitudo, et aliae similes, quae hîc exercentur, et sublimantur.

Caput Duodecimum.

De amore Vulnerante, plagaque amoris.

Ab effectibus subortis in cordibus contemplativis accepta nomina damus passibus Contemplationis. Dico itaque, amorem contemplativum habere interdum actus quosdam subtiles, delicatos, et adeo animae intima penetrantes, ut ad modum quo, vulnerato corpore, membra nervique contrahuntur, ita et animae in isto passu contingat; dominante quippe ipsam praedicto amore, contrahit et retrahit se in intima sui esse, ac sui nihili : et quo plus nihili reperit intra se, tanto plus invenit, ut Dilecto suo se uniat. Quemadmodum aquae fortis guttula carni applicata, plagam causat, in sua quidem impressione insensibilem, subinde vero vellicantem, et dolorem incutientem : tales sunt actus amoris hujus, adeo delicati, adeo intima penetrantes, ut in corde ipso sapide doleant. Ab ista plaga causatur

interdum deliciosissimus animi defectus, ubi amor dolori est insitus, et istius insitionis fructus sunt tenera suspiria, expressiones amatoriae, affectus incensi, jubili coelestes, pax, gaudium, unio tranquilla, et quidam amandi modus, quem plane sum inscius explicare. Anima simul deliciis satura, et amore vulnerata, similis in hoc passu est illi, qui ardore meridiei lassus projici se sinit ad umbram frigidulam floridae arboris : unicum sibi sat est suspirium, ut quiescat : amat, laudat, gratias agit, atque magnificat, adorat, benedicit, et extollit Dilectum suum unico actu, his omnibus aequivalente. Id magis, minusve perdurat, pro duratione gratiae : si vero aliquid corpori communicatur, protinus ecstasi corripitur, quae fit excessu amoris, cor comprimente : sociaturque aliquoties iste passus visionibus, raptibus, ac veritatum revelationibus divinarum.

Porro sicut bombyx in exordio quidem sui elaborati cuculli est grandis, et pulcher; cum vero eumdem texendo perficit, egreditur factus vermiculus perquam exiguus, cedens divitias serici fili domino suo, at reservando alas, cum tenuitate corpusculi sibi concessas : pariter anima ex Oratione hujusmodi egressa, cum viderit tantam in Deo magnitudinem, nec in se, nec in omnibus reperit creaturis aliud, quam summam parvitatem, et nihilum. Cogita, personam de penetralibus potentis cujusdam Regis foras prodire, lustrato inibi superbo auri, argenti, et adamantum abaco : si mox exilia tantum et deformia vascula testacea offenderet, liquido patet, quod ista nec flocci faceret, memor proxime a se visae pretiositatis. Sic et animae contingit, quae in exitu praefatae orationis, vel dum est eidem immersa, amare nequit, aestimare, vel magni facere quicquam, quod vel Deus non sit, vel ad Deum non ducat.

Item ad modum quo ingressus aliquis palatium Regium, plurimis exedris distinctum, prout aulaeorum conspiceret apparatum, admiratione majori teneretur; at ad ipsius Regis secretum conclave intromissus, ibi absorptus maneret : simile quid animae contingit, quae dum Omnipotentiae, Misericordiae, Justitiae, attributa perspicit divina, magis et magis demiratur; si tamen ad conclave regium Essentiae divinae intromittitur, ubi et distinctionem videt Personarum in unitate Naturae, hîc ad summum admiratione corripitur; obmutescit tunc, et more muti loquitur notis arcanis, symbolicisque affectibus : loquitur idiomate ignis, quod a solis capitur Seraphinis. Tunc anima lento quodam igne, vivido, tranquillo, puro, et vitali Amoris divini exardescit. Tunc anima se sentit in veritate vulneratam, vinctam, atque captivam vinculis amoris.

Hinc ignei scaturiunt rivuli fraternae charitatis, desiderando benefacere proximis, tanquam rebus Dei. Hinc erumpit desiderium accensum conversionis Gentium, reductionis peccatorum, ac Haereticorum, tenerque inimicorum amor. Me omnium expono risui, si cogito mihi verba suffectura, ut possim explicare, quod animae hîc agunt, atque patiuntur; expertis id relictum cupio : reliqui enim haud poterunt praestare fidem.

Caput Decimum Tertium.

De unione illapsus, et quomodo non repugnet, Deum producere in nobis actus vitales.

Difficilis, et gravis quaestio est : Utrum Deus possit producere se solo actus vitales intelligendi, et amandi,

quin anima (quae vita nostra est) ad illorum productionem vitaliter concurrat? Quoniam vitalitas aliud non est, quam intrinseca dependentia quaedam ab anima (quae nostra est vita) in sui productione, esse, et conservari : atque adeo si Deus produceret in nobis actus vitales intelligendi, et amandi, sine concursu vitali nostro : ex una parte forent vitales, ut supponitur; ex alia parte non forent vitales : siquidem non dependerent intrinsece in sui productione ab anima (vita nostra), utpote Deo sine hac illas producente. Vitales ergo essent, et non vitales : quae manifesta est implicantia.

Haec ratio convincit, loquendo in ordine naturali : ubi reperiri nequit actus vitalis naturalis sine vitae naturalis influxu. At in praesenti loquimur de aliis actibus, qui dicuntur inter Contemplativos Anagogici, idest, actus habentes quamdam vitalitatem essentialiter supernaturalem, et cum solus Deus sit vita per essentiam, et sit essentialiter supernaturalis, solus etiam Deus est, qui tanquam principium vitale producere potest in nobis hujusmodi actus anagogicos, actione divina, et passione humana ; elevando intellectum, et voluntatem nostram, et communicando ipsis (non tanquam forma informans, sed tanquam forma quaedam assistens) virtutem quandam divinam, per modum transeuntis, quae potentias facit intelligere et amare quasi divine, actione simul et virtute aliena, passione autem animae propria : cumque sit actio immanens, in potentiis manet, simulque in anima, quam unit altissime cum Deo, quem hoc in statu intelligit, et amat, divinum in modum. Sic Nominales tenent, Beatos intelligere in Coelo, et amare : atque in id genus actibus anagogicis consistere Beatitudinem formalem, vitalemque.

Hanc porro doctrinam, utpote delicatam satis, et

obscuram, duplici comparatione materiali explicare volo. Prima sit pueruli, qui neutiquam scribere novit: si vero peritus aliquis Magister, manu simul et calamo illius apprehensis, haec elevat, cum iisdem puer venustos scribit characteres, quos nec puer, nec manus, nec penna se solis exarare possent. Ita Deus se gerit in istiusmodi actibus anagogicis : animam quippe arripiendo tanquam parvulum, intellectumque ipsius et voluntatem tanquam manum, et pennam, producit tum his divinos actus anagogicos intelligendi, et amandi ; quorum vitalitas est ita essentialiter supernaturalis, ut anima, quantumvis per gratiam elevetur, non possit eos producere, nisi Deus tanquam vitae simul assistens (cujus quidem vitalitas est essentialiter supernaturalis) illos producat : proindeque anima mere passive se habet, sicut parvulus in scribendo, habentque intellectus et voluntas, tanquam instrumenta efficientia elevata, influxum activum in praedictos actus.

Alterum exemplum est ferri igne candentis, in cujus secretioribus poris coexistit substantialiter ignis. Elementum istud, elevans densitatem, et fortitudinem ferri, per easdem ardet, lucet, atque comburit; quamquam ferri substantia non concurrit, nisi materialiter, ad istas luminosas, et calorificas ignis actiones. Pariter Deus, tanquam ignis divinus, potest esse adeo intime praesens in magis intimo esse substantiali, et vitali animae, ut tanquam vita increata producat actus quosdam divinos intelligendi, et amandi, operantibus vitaliter potentiis elevatis a Deo, quin anima contribuat plus quam concursu materiali recipiente in istos actus : qui actus, utpote immanentes, recipiuntur in anima ut formae inhaerentes, quibus illa dicitur intelligere, amareque Deum modo divino.

Caput Decimum Quartum.

De Contemplatione passiva.

Praeteriti Capitis doctrina fundamentum est doctrinae Capitis praesentis. In illo diximus esse possibile, quod in isto esse de facto affirmamus : minime autem dicimus, contemplationem passivam consistere in otiosa quadam unione, ut Veteres aliqui tenebant. Illi nimirum aiebant de anima in ista unione contemplationis passivae, ita mere passive se habere, ut careat motu vitali amandi, et intelligendi, tantum substantiâ humanâ modo inexplicabili unitâ substantiae divinae : quam unionem tactum vocabant substantialem. Hoc aliud non fuisset, nisi animam otiari : cum tamen ejus unio, adhuc in patria, consistat in actibus vitalibus visionis, et amoris beati. Et quemadmodum homo essentialiter componitur ex anima, et corpore ; ita omnis, seu viatoris, sive comprehensoris contemplatio, essentialiter componitur ex actibus vitalibus intelligendi, et amandi. Quare dico, esse impossibile (adhuc de potentia absoluta) dari unionem contemplationis sine actibus vitalibus, et supernaturalibus intelligendi, et amandi.

Dico nimirum, contemplationem passivam non consistere in otio illo, sed in quodam fervido negotio : quando Deus est quasi forma assistens in magis intimo et secreto esse substantiali et vitali animae ; tanquam primum principium vitale assistens, tanquam objectum Theologicum praesens, et tanquam ultimus finis, obtentus Fide, frui faciente Charitate, securumque reddente vi firmissima Spei ; anima intelligente vitaliter, et amante suum Creatorem, vitalitate, actioneque aliena, et passione propria. Unione hac tenebatur

Apostolus, quando aiebat : Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus : Christum invocando vitam suam, non informantem, sed assistentem. An id totum ageretur intra vel extra corpus, siquidem Apostolus dicere nescivit, minus ego dicere sim conscius. Unum est, quod mihi asserere licet : actus hujusmodi tam esse deificos, subtiles, sublimes, et supernaturales, ut fides humana sit impar ad credendum, illos esse actu, imo nec esse possibiles.

Quod praeterea dicere norim est, praedictos actus, quorum vitalitas est quodammodo divina, et passio humana, tanta in se ipsis dulcedine, suavitate, laetitiaque gaudere, ut se solis sufficerent absque alia infirmitate ad vitam eripiendam, nisi Deus tunc miraculose illam conservaret. Tunc anima est intra se ipsam, et supra se ipsam elevata, vita quadam substantiali, supernaturali, et assistente, modo incognito, et inexplicabili animante, ac vivificante ipsam : ita ut ad fruendum clare Deo, aliud non supersit, quam abrumpere delicatam vitae hujus telam ; ubi per Fidem, tanquam per crystallinam fenestram, et Charitatis oleo illuminatam, Dilecti sui contemplatione distinetur : Hanc obtinuere unionem Sanctissima Virgo Maria Domina nostra, non pauci Patriarchae Veteris, et Novi Testamenti : neque unquam in Ecclesia Militante desunt, hac a Deo gratia honorati.

Caput Decimum Quintum.

De Mystica Transformatione.

Formas inter aliae sunt informantes, quae compositum constituunt, eique praestant esse principale : ut

anima rationalis, quae una cum corpore hominem constituit, et ipsi dat esse rationale. Aliae sunt formae assistentes, quae uniuntur per assistentiam, sed unum non componunt, non dant esse, sed operationem : quod in Angelis, motoribus Coeli dignoscitur, qui non sunt informantes, sed assistentes ; siquidem sunt principium motus accidentalis, et non esse substantialis Coelorum.

In hoc sensu dicimus, haberi posse quamdam Transformationem mysticam animae in Deum, assistente Divina Essentia intime per miraculum in magis intimo, et arcano esse substantiali animae, tanquam vita supernaturali assistente in vita naturali informante ; praestante illi novum esse morale transformati Mystici, novamque operationem divinam, et vitalem, essentialiter supernaturalem. Sunt nempe hi actus anagogici Dei, in genere causae efficientis, et sunt animae, in genere causae materialis recipientis, atque in genere causae formalis immanentis : manentibus quippe his actibus vitalibus interius in anima (uti albedo manens in pariete, istam reddit formaliter albam), iidem illi actus amatorii, manentes intra animam, faciunt animam reddi formaliter intelligentem et amantem, quasi divine, actione aliena, et passione propria.

Juvat hanc doctrinam illustrare quodam exemplo, partim spirituali, partim materiali. Et est hujusmodi. Si Angelus, ut forma solum assistens, non ut informans, penetraretur, tanquam spiritus viribus superior, cum aliquo vivo corpore humano ; posset praefatus Angelus, eo quod vivens superior, elevare, utendo illis, omnia organa, potentias, et instrumenta corporis humani, ut omnes eliceret actus vitales, quos antea solitum erat elicere, diverso tamen modo : atque adeo corpus posset tunc videre, audire, ambulare vitaliter, cum Angelica vita assistente, ac passione vel receptione

actuum eorumdem vitalium propria corporis quod in genere causae formalis redderetur ab illis vivens loquensve formaliter. Hoc exemplum aliqualiter id declarat, quod Deus facit cum anima in mystica Transformatione : ubi Deus, tanquam vita supernaturalis assistens, per unionem illapsus intime in nostra existens vita informante, ita elevat intellectus et voluntatis potentias, ut illas faciat intelligere amareque in modum divinum, modo scilicet aeque arcano, ac inexplicabili.

Quemadmodum item cera mollis, sigillo unita, transformat in se, non substantiam aeris, sed figuram in eo sculptam : ita et anima, unita Deo in isto passu, non transformat in se Dei substantiam, sed figuram aut imaginem quamdam ipsius Dei, quoad modum operandi. Ut enim Deus, quin moveat se, alia movet, sic anima sine motu vitali proprio movet potentias suas erga Deum, et cum supremum infimi assimiletur infimo supremi, et ista contemplatio sit supremum status infimi viatorum, simillima est contemplationi, quam habent comprehensores in Gloria, qui est supremus status, quo possunt homines elevari.

Hoc in articulo anima gaudet praesentia Dei valde rara, extraordinaria, clara, intima, delectabili, admodumque sublimi. Tunc ardor, ignis, lux, et calor spiritualis charitatis, est inexplicabilis ; assimilari autem potest vino adusto, quod ardendo lucet, quin comburat, nec consumat partem, in quam ingruit. Tunc sensus neque juvant, nec impediunt : quia in nihilo unio haec, nec in sui infusione, nec in continuatione, ab illis pendet. Tunc imaginatio et intellectus agens conquiescunt : quoniam desunt phantasmata, quae oporteat speculari. Tunc dolores, et tentationes corporis nec prosunt, neque obsunt. Unam solam animam toto vitae meae decursu reperi, hac Oratione donatam ; ipsaque procedebat valde deificata : obtinuit autem

donum istud post annos tringinta orationis, persecutionum, falsorum testimoniorum, injuriarum publicarum, ac tentationum in publico, et in secreto. Magni semper constitit, quod magni est pretii.

Quod si Doctorum Mysticorum aliqui hunc articulum explicarunt terminis hyperbolicis, minus congruis rigori metaphysico, quem hodie profitentur Scholae; mihi non est mirum : quoniam alia gratia est, experiri in se hoc sublime donum, aliaque distincta gratia est, nosse illud explicare; cum res adeo sit obscura, secreta, delicata, et ab omni visibili remotissima. Sed vero unum et aliud, ex divinae gratiae auxilio, assequibile est.

Caput Decimum Sextum.

Aphorismi circa Contemplationem, et Contemplativos.

I. — Conceptus Contemplationis perfectus charitatis actus est ultra lucem intellectus.

II. — Non est Contemplatio, sed Fides, vel speculatio, actu, in intellectu, qui non completur ultimo ab amoris affectu.

III. — Perfectio permanens, et sanctitas formalis, non contemplatio est, sed gratia habitualis.

IV. — Qui non experitur gustum contemplationis, nescit saporem hujus suavissimae unionis.

V. — Contemplatio, quae non includit altissimam humilitatem, vel cito deficit, vel convertitur in ariditatem.

VI. — Humilitas contemplativa nascitur ex cognitione Dei : humilitas affectiva nascitur ex cognitione mei.

VII. — Paucorum est, ad altissimam conscendere

contemplationem : at omnium est, implere status proprii obligationem.

VIII. — Titiones sunt dolores; qui contemplativos suscitant, foventque amores.

IX. — Tres gradus sunt nuditatis, persecutionis, et abnegationis, quibus ad fastigium ascenditur contemplationis.

X. — Ubi humilitatis non habetur ratio, nec sanctitas ulla est, nec contemplatio.

XI. — Cruces, et exquisitorum copia laborum, panis quotidianus est contemplativorum.

XII. — Puritas Angelica morum, et intentionis, dispositio valde propinqua sunt contemplationis.

XIII. — Innocentia et patientia in tribulatione, non est gradatim ire, sed volare in perfectione.

XIV. — Rarus est, qui dum accusatur, non loquatur : et si consistit in falsis testimoniis tacendo, Seraphin est in amando, et Martyr in sufferendo.

XV. — Tenebrae in animabus contemplativis vesperae solent esse pro luminibus excessivis.

XVI. — In contemplatione solet infusum majoris esse saporis, sed acquisitum (cum gratia scilicet Dei) majoris valoris.

XVII. — Ab hominibus separatus, si tamen vult esse delicatus, fiat iterum caeteris associatus.

XVIII. — Qui nihil praeter Deum quaerit, Deo in omnibus conformis erit.

XIX. — Contemplatio, cujus causa praeteritur obligatio, magis habet illusionis, quam verae in se ipsa orationis.

XX. — Ut fruaris alta contemplatione, opus est speciali vocatione : si autem absque ista praesumas volare, brevi ad ima cogeris remeare.

XXI. — Multi perduntur in via contemplationis, quia carent Magistro pleno perfectionis.

XXII. — Fallitur, si quis putat, contemplationem esse cunctorum, cum margarita pretiosissima sit, et oppido paucorum.

Caput Decimum Septimum.

Arcana, quae pertinent ad Contemplationem.

I Interrogatio. — Sitne bene, humanas regulas praescribere ad obtinendam divinam contemplationem?

Responsio. — Contemplatio est gratia gratis data, et ordinarie gratia infusa, uti est donum patrandi miracula. Proindeque ultra exacte vivere secundum obligationes Status, quem quis profitetur, studendo magnae sanctimoniae, parum ad rem faciunt regulae humanae : quandoquidem donum istud magis a liberalitate divina, quam ab humana dispositione dependet.

II Interr. — Possintne regulae tradi pro illius saltem conservatione?

Resp. — Regula unica est, quaerere Magistrum versatum in rebus hujusmodi : qui monebit puritati vitae, morum, et intentionis, adjungendam esse impletionem exactam obligationum status proprii.

III Interr. — Anne Contemplativi, sanctiores sint aliis Dei Servis, qui non procedunt nisi per viam ordinariae orationis Mentalis?

Resp. — Sanctitas formalis in gratia consistit habituali, quae forma est sanctificans : cujus prima infusio fit, vel per Sacramenta, vel per actum amoris, aut

contritionis perfectae : cujus item augmentum fit per actus meritorios omnium virtutum, quarum una est Contemplatio. Atque adeo communiter, qui magis virtuosus, non qui magis contemplativus, sanctior est : et si non donati contemplatione, sint magis virtuosi contemplativis, erunt his sanctiores. Interim vero seducitur, si quis putat, ad altum Contemplationis gradum pertingi posse, nisi per virtutes plurimas, certamina, labores, et difficultates. Sermonem hic non facio de privilegiatis.

IV Interr. — Nobiliorne sit actus contemplationis relinquas inter virtutes Theologicas, et Morales ?

Resp. — Ad eum plane modum, quo est homo compositus ex corpore simul cum anima, sic et actus contemplationis componitur ex Fide viva, et Charitate accensa ; et cum totum compositum sit nobilius singulis suis partibus divisive sumptis : hac ratione dico, istum actum ita compositum, et adaequatum, quovis actu simplici esse nobiliorem : et siquidem contemplatio coalescit ex Fide cum Charitate unitis, nobilior est sola Fide vel sola simplici Charitate.

V Interr. — An actus Contemplationis sit magis meritorius inter omnes actus virtutum, vitales, et supernaturales ?

Resp. — Meritum est entitas moralis, quae supervenit actui physice vitali, et supernaturali : ac ex plurimis oritur principiis. 1. ex majore, vel minore gratia habituali. 2. ex gratia quoque actuali per modum auxilii elevantis. 3. ex libertate indifferentiae, per gratiam elevata. 4. ex majore, vel minore difficultate, quae cum gratia superatur in opere virtuoso : et ex majore vel minore intensione istius, aut extensione. Si actus virtutis alicujus moralis abundaverit his omnibus circunstantiis, plusquam actus contemplationis, talis ille actus virtutis moralis erit magis meritorius.

VI Interr. — Raptus, Visiones, Ecstases, et somnia de rebus sanctis, actiones suntne, an passiones meritoriae?

Resp. — Res istiusmodi, quantum ad id, quod in iis exterius est, nostram excedunt potestatem : atque adeo liberae non sunt, neque meritoriae hac ex parte, qua carent libertate. Si tamen adsit actus interior supernaturalis, et liber in parte superiori animae, qui proveniat ex principio acquisito, vel infuso : tunc actus interiores liberi erunt meritorii, sed non ita externae necessariae actiones, vel passiones. Unde si Salomon meritus est in somnio suo, id fuit per actus internos ; et non per somnum externum, qui fuit actus naturalis, et necessarius.

VII Interr. — Quaenam differentia intervenit inter unionem, quam habet anima cum Deo per gratiam habitualem, et quam habet per charitatem, ac demum per contemplationem?

Resp. — Gratia habitualis est qualitas physica, quae ut forma justificans recipitur in animae substantia, et unit nos Deo meritorie, tanquam ultimo fini, quem merebimur, et obtinebimus tempore suo, si cum illa perseverabimus. Charitas unit nos Deo, tanquam cum objecto ipsius, ad quem, utpote virtus Theologica, nos ordinat : actusque illius, in quantum meritorius, dispositio est, quae meretur gratiam habitualem, tanquam Gloriae semen, et ultimus finis. At Contemplatio supponit pro fundamento gratiam habitualem, et ipsius unionem, et includit intrinsece Charitatem, ut partem componentem : atque adeo respicit Deum ut objectum suum, et praeterea unit animam cum Deo ut cum suo principio. Nimirum Contemplatio associata Gratia, et Charitate, unit animam cum Deo, tanquam cum primo principio, tanquam cum ultimo fine, et tanquam cum objecto : quae sunt tres majores uniones, quas

potest viator habere cum Deo, quamdiu in hac vita degit sub lumine Fidei.

VIII Interr. — In quo consistit unio Illapsus, et quo pacto fit?

Resp. — Quando Deus substantialiter, non solum per essentiam, praesentiam, et potentiam, quod est proprium Attributi Immensitatis, sed ut principium peculiare se constituit ad modum quo est in Coelo (ibi lumine Gloriae, hic lumine Fidei, et Contemplationis) in arcanissimo esse substantiali, et vitali animae; tunc tanquam principium vitale, supernaturale, ac divinum, communicat vigorem quemdam, et vitalitatem divinum pariter in modum duabus potentiis intellectus et voluntatis, ut producant quosdam actus contemplativos valde sublimes. Et est quando dicitur Deus esse in anima per modum unionis Illapsus, non ut forma informans, sed ut principium animam sibi subordinans, et elevans illam ut comprincipium elevatum ad novum operandi modum supernaturaliter, et vitaliter; aliqualiter imitando Beatos in coelo, ubi hunc pariter in modum elevantur, et vident clare Divinam Essentiam.

IX Interr. — An Deus, animam hoc modo inhabitando, sanctificet ipsam?

Resp. — Non sanctificat illam, sed sanctificatam praesupponit gratia habituali, quae forma est informans, et communicans ipsi sanctitatem, vel esse sanctam ut effectu formali praedictae formae : Deus autem non est tunc in anima ut forma informans, sed ut causa efficiens, quae illam elevat ut causa efficiens, non ut informans vel in genere causae formalis.

X Interr. — An dici possit, Deum in unione illapsus componere aliquod compositum cum anima rationali.

Resp. — Omnis vera compositio fit in genere causae materialis et formalis : cumque Deus in ista unione illapsus non sit forma informans, sed causa efficiens;

nec anima sit causa materialis, sed concausa efficiens elevata ; inde est, nullam facere veram compositionem, sed solam subordinationem, quae sufficit ad unionem talem illapsus.

XI Interr. — Siquidem in hac unione illapsus substantia divina potest esse intime praesens, et quasi unita substantiae animae : cur non poterit vocari unio, vel tactus substantialis, et supernaturalis ?

Resp. — Doctores Scholastici, praeter unionem hypostaticam, nullam aliam admittunt unionem substantialem supernaturalem. At vero unionem istam vocare tactum substantialem, parum refert : quandoquidem hoc nomine solum significatur intima quaedam coexistentia substantiae divinae, in ratione principii elevantis, cum substantia humana, in ratione principii elevati : qua ratione hoc desumpto termino, non est ullatenus inconveniens.

XII Interr. — Tuncne Deus et anima conficiunt unum principium adaequatum, tanquam ex principiis duobus inadaequatis ?

Resp. — Non componunt inter se in ratione principii ; sed Deus est primum principium totale, animaque principium est, vel causa secunda totalis, simul cum gratiis quibus gaudet : proptereaque non componunt, sed alia alteri subordinatur.

XIII Interr. — Quaenam differentia inest inter contemplationem Mysticam, et Scholasticam ?

Resp. — Scholastica est pura speculatio, et divinarum cognitio veritatum : Mystica est actus compositus ex Fide viva, et Charitate ardente : Scholastica est perfectio intellectus, Mystica et intellectum perficit, et voluntatem.

XIV Interr. — Consultumne est consulere omnibus, sine personarum discrimine, ut contemplationi se tradant, ipsamque procurent ?

Resp. — Valde inconsultus est, ita qui consulit. Primum eo quod ista sit gratia magis infusa, quam acquisita : et uti gratiae gratis datae non sunt infusae omnibus, ita neque omnes debent illas procurare. Deinde quia sunt aliqui vitae mixtae sic imprudentes, ut recepto aliquo contemplationis gradu, illico propriae vocationis fastidio capiantur, praeferentes amorem solitudinis obligationi fraternae Charitatis, repudiantes laboriosam Liam commercii cum proximo propter dilectam pulchram Rachelem contemplationis. Ignorant hi, orationem, suavitatem, et contemplationem, quae obligationibus Instituti, quod homo profitetur, praejudicant, plus habere illusionis, quam orationis.

XV Interr. — Quam ob causam indocilia ingenia, quae terribilibus, ac vehementibus agitantur passionibus, solent incapacia esse illius, quod suavius, et sublimius est in contemplatione?

Resp. — Fieri potest, id genus hominum esse magis sanctos, et amicos Dei, quam plures contemplativos : at ordinarie, cum adeo sint contumaces, superbi et iracundi, atque in multis actionibus immoderati ; locum non praestant, ut ingenium ita incompositum capax plerunque sit contemplationis infusae, tanta gaudentis suavitate, pace, quiete, mansuetudine, aliisque qualitatibus nimium dissitis a male temperata subjecti capacitate.

XVI Interr. — An contemplatio sit semper donum infusum, vel aliquid habeat acquisiti ?

Resp. — Longa, et constans meditatio Vitae, Passionis, et Mortis Christi, multas acquirit species impressas, in imaginatione, multasque acquisitas in intellectu : in memoria, inquam, intellectuali. Quae quidem species, si adjungantur Fidei, et istam Fidem comitetur Charitas accensa, dicentur contemplatio acquisita. Plerunque alia intervenit infusio gratiae superioris in

contemplatione sublimata : quae gratia infusa erit sita in vivacitate quadam, superaddita Fidei, et in novo fervore, addito habitui Charitatis. Species itaque rerum divinarum, praesupposita Fide infusa, simul cum actuali gratia infusa, possunt esse acquisitae per Meditationem : atque illae, una cum Fide, et Charitate, deveniunt in Contemplationem.

LIBER SEPTIMUS

De Natura et Gratia.

Caput Primum.

Quomodo Natura humana per peccatum originale corrupta fuit?

Natura humana corpore organico ut materia, et anima rationali ut forma, compacta fuit. Tres gradus substantiales obtinuit Anima, Rationalem, Sensitivum et Vegetativum. Gradu vegetativo sustentabat corpus, gradu sensitivo vitam dabat, et operari posse quinque sensibus : gradu rationali et intelligebat tanquam Angelus, et discurrebat tanquam homo.

In gradu rationali extabant Intellectus, Memoria et Voluntas, velut in parte superiori : siquidem omne vegetativum, et sensitivum erat minus capax, et inferius in hac interiori hominis domo. Ratio erat tanquam Dominus domus, et Vir. Voluntas erat Domina, et Regina, quae cum Ratione conjugata erat : unde vocatur Appetitus rationalis. Memoria partim libera est, ut voluntas, quae sua est mater, partim necessaria, ut Intellectus, qui est ipsius pater, estque filius-familias. Passiones vero inferiores, quae sunt operationes partis inferioris, erant ancillae domus istius : quae ad ullum extremum non declinabant absque expressa rationis

facultate, quae regulabat omnia, et voluntatis, quae omnia imperabat.

Huic naturae Deus initio creationis ejus dedit gratiam habitualem, quae vita erat supernaturalis animae illius : atque in eodem instanti quasi nuptu junxit eam Deus cum gratia Originali, quae altera erat qualitas spiritualis, suscepta in potentiis animae : deditque animae in dotem scientiam infusam, commercium cum Angelis, habitus, et gratias gratis datas supernaturales : itemque corpori donum extrinsecae immortalitatis ; quatenus etsi temperamentum illius esset intrinsece corruptibile, attamen ex privilegio gratiae originalis, et arboris vitae, si homo non peccasset, duraturum esset pro tempore, ac modo, noto soli Deo.

Dominabatur animalibus, corpori suo, suis appetitionibus, et passionibus : nuditatem corporis non sentiebat : demumque alias ultra dotes secum colligatas obtinebat fortunatus justitiae originalis status. Caeterum post Adami peccatum, amissa in illo gratia originali, perdita simul sunt dona tam naturalia, quam supernaturalia, quae cum ea nectebantur. Et quemadmodum, ruente homine de sublimi loco, ejus infringitur, et conteritur corpus, remanetque manibus mancum, claudum pedibus, magnisque cicatricibus deforme : ita natura nostra ex illo primo lapsu manca remansit in ordine supernaturali, et in naturali clauda, simul cum deformi quadam cicatrice, quae relicta nobis est adhuc post curationem, et vocatur *fomes peccati.*

Vulnus, quod ex hoc casu sustinuit intellectus, est, ut pari passu quo se a prima Veritate sejunxit, offendat in veritates secundas erga objecta creata, versâ in solam probabilitatem, et conjecturas, evidentiâ quâ pollebat. Pari etiam passu, simul ac ratio fuit infidelis Deo, voluntas divortium fecit, et adulterium cum caeca passione perpetravit, libentius amplectendo passionem

in re delectabili, quam in re utili rationem. Omnes itidem passiones rebellarunt contra partem superiorem : appetitus quoque sensitivus vult dominari voluntati, et rationem ipsam raptare in suas delectationes. Omne id in homine suae libidini dedito conspicitur, qui affatim vult id, quod vult, et nimis multum vult id, quod multum vult : ipse est, qui utili delectabile praeponit, servus est passionum suarum, et evadit vitiosus nimis. Totum hoc derivavit in nos peccatum originale.

Caput Secundum.

Quomodo per Gratiam intellectus, et voluntas curantur?

Non tantum per culpam amisimus quantum lucrati sumus per Gratiam Christi Domini Nostri. Vulnera praecipua, quae sustinuit homo (ultra gratiae habitualis, et originalis amissionem), incussa sunt intellectui, et voluntati.

Fuit intellectus vulneratus ignorantia, caecitate, hebetudine; amissa evidentia, qua gaudebat, multarum veritatum naturalium, ipsaque desciscente in conjecturam, et probabilitatem. Gratia, in qua sita fuit hujus invaletudinis curatio, fuere plurima dona intellectualia, et supernaturalia. Primo nobis donavit Deus Fidem erga objecta revelata : quae lux quaedam est, obscura quidem, sed valde certa, et tuta. Deinde nobis infundit, et mittit plures species impressas naturales, divinasque : quae sunt omnis rectae cogitationis principium. Tertio dat nobis illustrationes divinas, cogitationes sanctas, et inspirationes : quae nobis bonum repraesentant, ut illud amemus, et malum, ut ipsum odio

habeamus. Ulterius quandoque aliquibus Servis suis communicat donum Prophetiae, Revelationum, similiumque donorum intellectualium, quae restaurant praeteritae jacturae damna.

Vulnus incussum voluntati per peccatum originale, fuit summa tepiditas, languor, et magna quaedam quasi per divortium alienatio a ratione, quae sua erat sponsa : haerendo potius affectibus suis adulterae passioni, quam tutis regulis rationis ; utili, et rationali praeponendo bonum delectabile ; nimia obsecundando aviditate, atque appetitu voluptatibus suis, oblectamentis, et illecebris, ratione conculcata, et obcaecatae passionis ductum sequendo.

Gratia, in qua sita est vulneris hujus medicina, sunt habitus, et dona Theologica, et Moralia, quibus Deus elevat, perficitque potentiam istam, sublimando affectus ipsius, defectus corrigendo, purificando intentionem, fraenando appetitum, et eumdem adamussim aptando rationi divinae, ac humanae. Praeter haec devotio conceditur, nunc sensibilis, nunc intellectualis, quae facilem reddit usum virtutum : propensio in bonum, et gustus in bene agendo, affectus sancti, et rerum piarum vota, pietasque ipsa, et impetus ad bonos mores. Tandem postrema hujus potentiae curatio consistit in gratia quadam actuali : nimirum in quadam spirituali, et secreta qualitate, quae vires illi praestat, vivificat ipsam, calefacit, emollit, redditque ad omne bonum fortem, et odio habentem omne malum.

Caput Tertium.

Quomodo electio divina sit radix omnium gratiarum actualium?

Nihil in tempore accidit, quod non sit praedefinitum ab aeterno voluntate Dei efficaci : volente nimirum ipso in aeternitate, ut actus liberi existant libere in tempore, ita ut voluntas posset, antequam agat, illos non agere, si vellet : Deo pariter volente, ut actus necessarii necessario fiant.

Inter actus liberos divinos, et aeternos, sunt illi, qui vocantur praedestinationes, et sunt dupliciter. Alia enim dicitur praedestinatio ad Gloriam, per modum praemii : et hic est actus justitiae, qui praesupponit merita praevisa, ut praemientur. Alia praedestinatio est ad gratiam : qui est actus misericordiae, praesupponiturque nostra consideratione in Deo ante praedestinationem ad Gloriam : quia semper misericordia praesupponitur ad justitiam.

Praedicta Gratia dividitur in justificantem, et dignificantem, vel moralem. Justificans est gratia habitualis, quae sanctificat animam, et gloria dignam reddit. Gratia dignificans est gratia Prophetae, Patriarchae, Apostoli, Evangelistae, Martyris, Doctoris, Confessoris, et Virginis : et ista gratia non sanctificat, quantumvis sit in Sanctis.

Quando Deus ab aeterno aliquem praedestinat ad aliquam gratiam moralem dignificantem, illi concedit omnes illas gratias actuales, quae sunt media necessaria pro consecutione talis finis. Sic enim, facta inductione, ut formet Virginem, donat puritatem ; ut Martyrem formet, occasionem martyrii dat, et fortitudinem ;

ut formet Doctorem, intellectum sublimem praebet, et studium ; ut Prophetam formet, imbuit illum luce prophetica ; ut formet Magistrum Spiritus, magna donat comprehensione rerum interiorum, et secretiorum in spiritu.

Quando vero aliquem Deus ab aeterno praedestinat ad multam, aut parvam gratiam habitualem sanctificantem, et finalem ; juxat praedestinationem istiusmodi, dat illi multam, aut parvam gratiam actualem. Similiter quem Deus praedestinat ad mediocrem gratiam, et sanctitatem, mediocri etiam et ordinario praeparat subsidio auxiliorum : et tales sunt Praedestinati majori ex parte.

Quando denique Deus pro sua misericordia praedestinat aliquem in Sanctum praegrandem, magnave donandum gratia in hac vita, magnaque gloria in futura : tunc decernit effundere in illum plures, et eximias gratias actuales. Itaque illa praedestinatio aeterna est fons omnium gratiarum actualium, quae in tempore his conceduntur : dat nimirum Deus istiusmodi electis multam Paenitentiam, multam Orationem, multam Patientiam, plurimos actus Fidei, Spei, et Charitatis, multam vitae, intentionis, et morum puritatem, voluntatem affectuosam, et secretam quamdam virtutem, quae illos animat, vivificat, urget, roborat, inclinat, et inducit suaviter, fortiterque in omnium virtutum exercitium : atque in hoc consistit potissimum actualis gratia, et divina.

Caput Quartum.

Quomodo Gratia, et Natura sint pater, et mater actualium meritorum?

Natura vidua, postquam suum primum amisit virum, qui fuit gratia originalis, sese iterum veluti conjugio junxit cum gratia actuali : et ex isto matrimonio nascuntur omnes actus vitales simul, et supernaturales, ac meritorii. Gratia tanquam pater generat hos actus, et Natura elevata ut mater concipit ipsos, parturit auxiliante gratia : et quemadmodum in natura filius totus, et totaliter correspondet genitori, et genitrici, non vero per partes : ita et actus supernaturalis correspondet omnino gratiae elevanti, et naturae elevatae, minime autem per partes : cum etenim entitas sit spiritualis, et indivisibilis, partibus caret. De actu loquor interno, qui propterea totus, et totaliter correspondet tam gratiae, quam naturae.

Quod si dicatur, actum esse vitalem, et supernaturalem; ad hoc repono, vitalitatem, et supernaturalitatem esse gradus, intrinsece perficientes, non vero partes componentes, seu integrantes : quemadmodum in anima rationali, quae substantia vitalis est, et rationalis, ratio substantiae, vitalitatis, et rationalitatis, sunt gradus intrinsece perficientes, non partes componentes : ita quoque in actu vitali, et supernaturali, cujus vitalitas est gradus, et non pars componens. Cumque omnis forma se accommodet subjecto, in quo recipitur : inde fit ut, siquidem voluntas est libera et indifferens, gratia praevia non praedeterminet : cum tamen potentia in consortio illius operatur, juvatur ipsa, ut se condeterminet libere : atque adeo ex gratia, quae elevat, dispo-

nit, et perficit, simul cum potentia elevata, rite disposita, et perfecta, fit unum principium totale, adaequatum, vitale, liberum, et summe indifferens, si voluntas elevata velit, ad producendum actum vitalem, supernaturalem, et meritorium subsequentem.

Quod si Deus donet homini gratiam virtualiter efficacem ut septem, in hominis est potestate, operari ut duo, ut tria, vel ut septem, non tamen poterit operari ut octo. Imo poterit, si vult, resistere, gratiamque vacuam relinquere ab operatione : quod est gratiam ex se virtualiter efficacem reddere actualiter privative inefficacem, privando ipsam effectu, quem habitura erat, nisi malitia humana obstitisset. Est igitur efficacia virtualis in gratia velut calor in pipere, quod mandendo, ille producitur actualiter, si vero piper non manditur, friget exterius, et caret omni calore actuali : pari modo gratia praevia est virtualiter efficax ex se; si tamen voluntas elevata non operatur, caret gratia ista efficacia, eo quod effectu careat, diciturque inefficax privative.

Si autem petas, quomodo cum voluntas sit potentia indeterminata, ea ipsa se determinat. Dico ad hoc, voluntatem duplici actu gaudere : actu primo, qui est potentia proxima, et actu secundo, qui est exercitium actuale. Itaque voluntas est potentia indeterminata in actu primo, mox in actu secundo ipsa se determinat : in ordine quidem ad actus naturales viribus propriis determinat se, in ordine vero ad actus supernaturales nonnisi cum auxilio divinae gratiae. Sane quemadmodum non repugnat, hominem hodie nigrum, cras esse album : similiter non repugnat, voluntatem in actu primo esse indeterminatam, et determinatam in actu secundo : ac sicut est accidentale homini esse album, aut nigrum ; ita efficacia actualis, et inefficacia actualis sunt accidentia, quae absunt, vel adsunt in gratia : fitque, ut gratia, quae hodie efficax est, quia coexistit

suo effectui, quem de se respicit, si cras perseverat, et non perseverat effectus, reddatur omnino inefficax. Fieri nequit, ut in rebus hujusmodi circa gratiam punctum habeamus fixum, quin attingamus principia, et opiniones Scholasticas : hîc vero neminem coarctamus, ut sequatur hanc, vel aliam opinionem.

Caput Quintum.

Quid si gratia ? Quomodo dividitur ? et in quo consistat ejus efficacia ?

Gratia in communi est quodcunque donum indebitum. Si fuerit donum indebitum ordinis naturalis, erit gratia naturalis : ut sunt extraordinaria pulchritudo, nobilitas, memoria, vel intellectus, etc. Si fuerit donum indebitum in ordine morali, civili, vel politico, dicetur gratia moralis : quales sunt dignitas, officium, aut praeeminentia. Si fuerit donum, quod nobis auxiliatur, et elevat in ordine ad gloriam promerendam, vocabitur gratia supernaturalis.

Ista gratia supernaturalis dividitur in gratiam habitualem, et actualem. Habitualis est qualitas, quae inhaeret substantiae animae : et sicut anima est vita naturalis, quae informat, et vivificat corpus; ita gratia habitualis est vita animae : utque anima est principium omnium potentiarum vitalium; sic et gratia habitualis est principium omnium habituum supernaturalium, et omnium gratiarum actualium, conferentium ad merita.

Gratia actualis est qualitas supernaturalis, quae inhaeret potentiis vitalibus intellectus, memoriae, ac voluntatis, et juxta diversa munera, quae subit, variis nominibus insignitur : sic enim dicitur auxilium,

quando nos adjuvat : gratia praeveniens, et excitans, quando nos praevenit, excitatque, ut bonum opus eliciamus; subsequens, si praestat continuationem in bene operando : quod si nobis repraesentet aliquam piam veritatem, et inclinet nos ad illam amandam, dicetur inspiratio : si autem vocet nos ad statum superiorem in divino servitio, vocationis nomine donabitur.

Gratia adhuc actualis dividitur in sufficientem, efficacem, et inefficacem. Sufficiens elevat potentiam, ita ut cum illa reddatur sufficiens aptumque principium ad actum supernaturalem, qui subsequi possit. Efficax, et inefficax est, prout obtinet, vel non, effectum. Quod si gratia ista fuerit antecedens, antequam liberum obtineat effectum, erit efficax virtualiter : si vero effectus cum causa coexistit, tanquam cum causa sua efficiente, dicetur actualiter efficax. Atque ita omnino, cum gratia sit causa efficiens, debet efficax esse prius in actu primo, vel potentia proxima : et tunc est virtualiter efficax, ut dicitur de pipere, calidum esse virtualiter, quia suo tempore potest causare, vel producere calorem; postea vero gratia erit in actu secundo, et in exercitio efficax, si effectus accedat; diceturque tunc gratia efficax actu, et formaliter, cum respectu actuali ad bonum opus, qualem habet causa efficiens ad suum effectum.

Inefficacia est carentia effectus : atque adeo si gratia est ut quatuor, et nullum habet effectum, comparative ad effectum ut quatuor, dicetur inefficax privative; comparative autem ad effectum boni operis ut quinque, vel ut sex, dicetur inefficax negative : ita ut esse gratiam dicatur comparative ad potentiam, esse vero efficacem dicatur comparative ad effectum, quem habet, vel non habet, vel potest habere, vel non habere : unde tam efficacia, quam inefficacia sunt accidentia respectiva, quae possunt adesse, vel abesse, prout adest, vel abest effectus.

Caput Sextum.

In quo consistat gratia actualis, et quot modis haberi queat?

Vidimus jam, quomodo gratia habitualis sit vita supernaturalis vitae nostrae naturalis : qua de causa penetrat intime ipsam vitalem animae substantiam. Videamus nunc, in quo entitas gratiae actualis consistat, cujus nimirum gratiae finis est, nos conducere in Gloriam : et quemadmodum habitualis gratia, quia vita moralis animae, opponitur peccato mortali, utpote morti morali animae : ita gratia actualis modo est in justo, modo in peccatore, illum vocando, ut peccata deserat sua, convertatur ad Deum, et agat penitentiam. Omnes bonae cogitationes, piae inspirationes, et sancta desideria, quibus afficitur peccator, ut se ad Deum convertat, dicuntur actualis gratia praeveniens : et quamvis peccator auxilio supernaturali hujus gratiae actum contritionis eliciat, iste actus solum de congruo meretur primam gratiam : qua infusa, et jam redditus amicus Dei, merebitur de condigno gloriam.

Primum itaque omnes bonae cogitationes intellectus, et omnes pii affectus voluntatis, in quantum sunt principia subsequentium bonarum operationum, gratia dicuntur actualis magna cum proprietate.

Secundum omnis species, quam Deus, et Angelus Custos in nos immittit, aut infundit, in quantum est principium actuum supernaturalium, gratia vocatur actualis.

Tertium devotio sensibilis, et intellectualis (quae non est actus vitalis, sed quaedam qualitas supernaturalis, quae illuminat intellectum, et allicit voluntatem) dicitur gratia etiam actualis.

Quartum remorsus conscientiae, qui nos ad odium, abominationem, et detestationem excitant peccatorum, atque ad quaerendum Deum, et nos emendandos inducunt, gratia sunt.

Quintum timor Inferni supernaturalis, nos avocans cum detestatione a peccatis ; supernaturalis etiam cognitio miseriarum hujus Mundi, coadjuvans nos ad contemptum ipsius pro Deo melius obtinendo; spiritus compunctionis ad culpas deflendas excitans, gratia item sunt.

Sextum terror, admiratio, et pavor supernaturalis, qui nos erigit, et convertit ad Deum, casus aliquis repentinus, et rarus, interius ingerens compunctionem, a Deoque directus ex fine convertendi nos; appellari poterit actualis gratia, et donum indebitum.

Ultimum quaedam spiritualis qualitas, a Deo effluens, ut a Sole lux, ab igne calor, rivulus a fonte suo, et in potentias derivatus, quas animat, donatque vigore, robore, vi, efficacia, spiritualique calore, cum aliis proprietatibus, gratia est actualis cum proprietate.

Quot sunt, qui vivida jejunandi habent desideria, et non possunt! Quot habent bonas cogitationes erga orationem mentalem, magnaque, ac sancta desideria, et debiles reperiuntur, nec assequi potentes, quod optant, defectu gratiae istius actualis! Ea est vigor interior, qui animam roborat, potentias vivificat, confortat cor, rectificat actiones, elevat intentionem, illuminat intellectum, facilem et mollem reddit voluntatem : est antonomastice gratia actualis, quae in potentia dicitur sufficiens, in opere suo efficax : et prout aliquem vult Deus reddere parum, aut eximie sanctum, donat ipsi modicum, aut multum istius gratiae.

Caput Septimum.

Quomodo non omnes piae cogitationes, et sancta desideria, sint gratia?

Primo quidem mysteria, et affectus gratiae, licet superiores sint, non tamen sunt contrarii humanae rationi, nec a ratione alieni : atque adeo cogitationes, et desideria in rebus piis, et devotionis, quae quis habet, si adversentur rationi, plus habent a ratione alienum, quam de gratia divina.

Secundo postquam Deus aliquem in uno aliquo Statu fixo constituit, idem Dominus jubet, ut omnes propriae illius Status obligationes impleantur : unde omnia desideria, et cogitationes jejunandi, recitandi, Eucharistiam sumendi, aliaque virtutis opera exercendi, si haec talia impediant obligationes a Deo praescriptas adimplere, non sunt gratia divina : siquidem Deus minime rem inspirat, quae impediat facere quod jussit.

Tertio desideria voluntaria magis Eucharistiam frequentandi, quam Obedientia praescribat, desideria se se poenitentiis, jejuniis, et vigiliis macerandi praeter, vel adversus Obedientiam ; si animam inquietam reddunt, sollicitam, et tristem, siquidem effectus afferunt ita malos, non indicant esse gratiam divinam.

Quarto impetus, et impulsus interni vehementes nimium voluntarii ad patranda heroica in virtutibus, intentione minus pura, quique animam turbant, et parum subditam reddunt Superioribus suis, si magis in passionis, quam in rationis lancem inclinent, abhorrent a gratia.

Quinto cogitationes, et desideria, quae vergunt cum

excessu in extremum aliquod virtutum moralium ; in tantam, ex. c. poenitentiam, ut salute deperdita evadamus valetudinarii, et delicatuli; vel ita immodice incumbere orationi, ut habitualis succedat capitis dolor, qui orationem ipsam praepediat : talia haec desideria dicuntur fervores indiscreti, et ignorantia.

Sexto appetitus revelationum, visionum, et raptuum, est periculo plenus, et signum vanitatis.

Brevi cogitationes, et desideria, quantumvis in materia pia, si pugnent contra rationem, gratia non sunt; si repugnent obligationi, si nimio sint excessu, si vitientur ex fine, si propriae indulgeant voluntati, si passioni magis, quam rationi respondeant; plus habent humanae miseriae, quam gratiae divinae. Sunt etenim res hujusmodi valde subjectae Doemoni, transfiguranti se in Angelum lucis, et rebus apparenter sanctis indicenti bellum sanctitati.

Caput Octavum.

Quomodo cum actuali gratia fiat cooperatio?

Gratia actualis animae sic se habet, ut in corpore calor naturalis : atque ut corpus, licet animae unitum, non potest sine calore naturali concoquere cibum, nec sanitatem conservare : ita et anima, quamvis gratia gaudeat habituali, quae est vita spiritualis ipsius, non operatur virtuose, ac supernaturaliter sine actuali gratia. Et quemadmodum ubi calor naturalis est exiguus, debilis, et remissus in corpore, actiones etiam vitales modicae sunt, debiles, et remissae : pariter etsi anima gratiam habeat habitualem, si actualis gratia

sit exigua, debilis, et remissa, erunt quoque pauci, debiles, et remissi actus virtuosi, et supernaturales.

Exemplum hujus doctrinae adhibeo. Sit anima eximie sancta in gradu heroico gratiae habitualis, si tamen careat pia cogitatione, affectu et desiderio bono circa id quod actura est, non poterit bene operari, siquidem nihil humanitus fit, nisi quod cognoscitur, et desideratur. Rursus vero sicut homini, qui laboret pedum debilitate, non sufficit quod cognoscat, quantum intersit ambulare, vel etiam quod hoc desideret, nisi adjungatur pedibus robur; pari modo in actuali gratia contingit, nec enim sufficit cognoscere bonum opus esse faciendum, aut etiam id desiderare, sed ulterius opus est robore, vigore, aut vi supernaturali : et haec est actualis gratia practica pro exsequendo bono et cognito, et desiderato.

Aliud exemplum circa orationem, istam fulcit doctrinam. Nosco ex. gr. inspiratione sancta, quae gratia est actualis, quantum mea intersit, addicere me orationi mentali, ac poenitentiae, quod simul desidero, per ulteriorem scilicet gratiam actualem : utraque vero erit speculativa, et non practica, nisi superveniat vis quaedam secreta, fortis, et supernaturalis, quae fortiter et suaviter hominem movet ad speculationis tam sanctae practicam exsequutionem. Si tunc ille, ut cogitat, et desiderat, sese addicit orationi mentali, quaerendo tempus, et locum opportunum, simulque macerando se ciliciis, et flagellationibus : hoc jam est correspondere divinae inspirationi, et gratiae cooperari. Aio itaque, gratiam speculativam esse communem justis, et peccatoribus; gratia tamen actualis practica est unice propria justorum, et eorum qui convertuntur ad Deum.

Praedicta gratia speculativa est interdum, in quantitate lucis intellectualis, et qualitate, major quam sit

effectivum voluntatis : interdum e converso major est gratia voluntatis, quam lumen intellectus. Quando nimirum exercet quis virtutes magna cum ratione, discursu, luce, judicio, et cognitione necessitatis illarum, et convenientiae, sed absque gustu, cupiditate, vel affectu ex parte voluntatis : tunc patet magis gratia intellectualis. At vero dum quis exercet virtutes magno cum gustu, et cupiditate, sed exigua cum luce, vel non multa cognitione : tunc magis patet gratia effectiva voluntatis. Ista gratia est valde propria ferventium. Sunt et alii, qui bene agunt magna cum luce, magno simul cum gustu, et magna cum facilitate : qui solet esse fons perfectus in illis, qui difficiliores reperirent se ipsos, ad agendum male, quam bene. Atque istud gratiae practicae actualis est, quod pauci capiunt, quantumvis a Scholasticis, super hac re affatim disputetur.

Caput Nonum.

Quomodo gratia elevet naturam?

Tres rerum ordines computantur : ordo naturalis, moralis, et supernaturalis. Ordo naturalis in homine pertinet ad intellectum : qui est potentia in se ipsa naturaliter necessaria, licet radicaliter libera. Ordo moralis pertinet ad libertatem voluntatis, in quantum respicit finem honestum, et rationis norma regulatum. Ordo supernaturalis pertinet ad gratiam, in quantum ordinat nostros actus liberos ad gloriam promerendam. Et sicut cognitio naturalis, addita libertate, redditur moralis; ita moralis redditur supernaturalis, si superaddatur gratia divina. Sicut etiam sunt duae gratiae

divinae, habitualis, et actualis : ita duae sunt elevationes, moralis, et physica.

Elevatio moralis est propria gratiae habitualis, quae non operatur physice, sed adjungit meritum actui vitali, physico, libero et supernaturali : sine tali enim gratia nullus actus noster meretur de condigno vitam aeternam, quae premium est non jam inimicorum, sed amicorum Dei. Elevatio physica fit per gratiam actualem : quae tanquam principium physicum unitur potentiis, ut physice vitaliter actus eliciant supernaturales. Cum autem elevatio aliud non sit, quam rem aliquam erigere a statu aliquo inferiore ad alium statum superiorem ; statusque supernaturalis sit superior statu naturali, et morali : propterea fit, ut quoniam gratia actualis erigit actum liberum vitalem in supernaturalem, quod esse supernaturale physicum est, consequenter dicatur physice elevare : quemadmodum etiam gratia habitualis dicitur elevare moraliter, quia subjungit actibus esse meritorium, quod solum est morale ; pariter de actuali gratia practica dicitur elevare physice nostros actus liberos, quatenus adjungit ipsis supernaturalitatem, quae gradus est physicus, et realis.

Caput Decimum.

Quomodo gratia perficiat naturam, sed non eam tollat?

Missâ gratiâ miraculosâ quae potest ex lapidibus facere filios Abrahae, cholericos reddere flegmaticos, lapidea corda emollire : loquendo de divina gratia

communi, haec non mutat prorsus naturam. Atque adeo cum hebete intellectu naturali, etsi gratia supernaturalis abundet, nunquam solet quis esse habilis, et acutus : de gelida voluntate fieri poterit, ut semel aut bis per gratiam reddatur melior, at ut plurimum obsistet : homo ineptus, rusticus, et incivilis naturâ, cum gratia ordinaria non evadit urbanus, comis, et nobilis : austera indoles, quacunque donetur gratia, consuevit gravis manere, melancholica, et severa : puer, quantumvis gratia orationis donatus, in suis actionibus sapiet puerilia : rara invenietur mulier, licet abunde gratia polleat, non delicatula, timida, debilis, suspicionibus, dubiis, desideriis, anxietatibus plena, quod est muliebre ingenium.

Quod gratia ordinaria confert est, resecare defectus, affectus dirigere, purificare intentionem, vitam reddere meliorem, sublimare mores, intellectum foecundare piis, et sanctis illustrationibus, inspirationibus, et cogitationibus de rebus devotis, piis, et divinis, quaeque multum conducunt ad nostram perfectionem, et salutem; voluntatem vero implet sanctis affectibus, piis desideriis, petitionibus, precibus, compunctione, humilitate, divino amore, atque id genus aliis. Est nimirum gratia tanquam liquor divinus in humano ingenio velut in vase : prout hoc replebitur, erit sanctitas multa, vel parva, prout etiam fuerit natura parva, vel multa capacitas naturalis. Si quis fuerit natura praeditus magno intellectu, magno judicio, prudentia magna, literis, et discretione; tota ista capacitate imbuta gratia, et sanctitate, planum est magnum sanctum evasurum : at si alius exiguae sit natura capacitatis, quantumvis impleatur sanctitate, necesse est sanctitatem futuram esse parvam, et exiguam. Quamobrem in parvo judicio, parvo intellectu, parvo discursu, ingenio puerili, turbido, vano, duro,

et consimili, ex lege ordinaria exiguus gratiae datur locus : utque aqua non superat vasis capacitatem, nisi per miraculum; ita gratia, nisi per miraculum, non excedit limites recipientis.

Hac de causa, quos Deus praedestinavit in eximie Sanctos, Doctores, Apostolos, et Prophetas Ecclesiae suae, communiter loquendo, praeparavit ipsos magno judicio, magna prudentia, literis non vulgaribus, magnis laboribus, magnis persecutionibus, magna etiam naturae tolerantia; juxta quorum capacitatem dedit illis Deus gratias supernaturales, accommodatas gratiis naturalibus, quas in ipsos praemiserat. Contra vero magnae capacitates naturales, dum replentur peccatis enormibus, magnos Daemones conformarunt; quales fuere Lucifer, Arius, Pelagius, Nestorius, Lutherus, Calvinus. Beatus ille spiritualis, cui contingit habere bonam, et mitem indolem, bonum judicium, bonum intellectum : si moderari, et temperare scit passiones suas : si vivax, acutus, velox, et comprehensivus est in intelligendo : temperatus, prudens, et circunspectus in amando, et odio habendo : in hoc tali vel modica gratia comparet ut multa, et specialis.

Caput Undecimum.

De gratia primae, et secundae Vocationis.

Vocatio est quaedam inspiratio pia in intellectu, et quoddam desiderium sanctum in voluntate, quibus Deus nos ad superiorem vocat statum sui divini famulatus. Si haec vocatio re ipsa Dei sit, pura est in intentione, constans in executione, stabilis in dilatione,

contradictionibus excrescit, et dilationibus magis radices agit : est mater piarum cogitationum, suntque ipsius effectus mutatio vitae, ac melioratio morum. At si vocatio a Deo non sit, deest puritas in intentione ; studet enim Religionem convertere in modum vivendi ad temporalia, commodum magis quaerendo, quam sanctitatem : talis proinde vocatio dilatione tepescit, contradictione suffocatur, humanis ducitur respectibus, solet tam parum esse constans, ut quae magis dissimulationis habet, quam vocationis. Si hujus modi homines ad Religionem admittantur, nunquam boni evadent Religiosi.

Altera vocatio vel est gratia distincta a priore, vel exaltatio ejusdem. Quando nimirum aliquis Religiosus tepide vivit, iners suas transigit obligationes, Regulam non observat, non multum curat venialia vitare, quin et quandoque labitur in mortale : tunc aderit secunda vocatio, si talis hic experiatur quosdam internos remorsus salubres, qui pungunt, et lacerant : si percellatur timore suae damnationis, melancholiam incutiente, ac terrorem : si persentiat interne cogitationes quasdam, quae necessitatem ei repraesentant, convenientiamque, una cum pulchritudine virtutis, a qua procul est, id quod aliquoties in comitatu habet lacrymas, teneritudinem, devotionem, et compunctionem : si eidem inspiretur, ut divertat loca, tempora, occasiones, et personas, quae solent ipsi offendiculum esse, ut offendat, et cadat ; utque interius colligat se, orationi serio incumbat, et poenitentiae. In qua secunda vocatione solet interius bellum ingruere saevum gratiam inter, et naturam, atque bonum inter Angelum, et malum ; Angelus bonus cum gratia totum facile reddit, malus Angelus cum natura, in deterius habitu acta, reddit totum difficile : Angelus malus comminatur, inquietat, et offuscat his, quae interne insusurrat, bonus

Angelus serenitate afficit, et pace, dum ad cor loquitur. Quodsi Religiosus tepidus huic secundae vocationi respondeat, in heroicum perfectionis gradum conscendere solet : si vero resistat, in magnum deveniet daemonium, detestabilibus infectus peccatis, vel publicis, vel saltem secretis.

Aliud genus gratiae datur, quod dicitur gratia Vocationis : consistitque in quibusdam privilegiis, quae Deus ex sua misericordia singulis addixit Institutis. Exempli gratia paupertati, et poenitentiae S. Francisci, alia inter privilegia, saturitatem largitur, et copiam : concionibus spiritualibus S. Dominici conversionem Deus concedit plurium peccatorum : Anachoretarum, et Eremitarum, exemplari vitae, ac solitudini, correspondet Fidelium aedificatio : ministeriis, et literis, quibus Societas Jesu studet bono Rerumpublicarum, educando et erudiendo juventutem, fovendo Sacramentorum frequentiam, mores reformando, donat Dominus castitatem in junioribus, in senioribus humilitatem, magisterium in literatis, prudentiam in superioribus, fervorem in Operariis, tolerantiam laborum in Missionariis. Et quamquam hujusmodi privilegia generalia reperiantur etiam in aliis Religiosis Familiis, suasque patiantur exceptiones in aliquibus personis particularibus ; id quod assero, communiter loquendo, ita est ; vidimusque nonnullos, qui cum in Societate Jesu splenderent suis talentis, privilegiatis gratia vocationis, extra Societatem acti, cum iisdem talentis nullo splendore micabant, nec in pretio habebantur. Est igitur gratia vocationis basis quaedam alta, supra quam si talentum tenue collocetur, satis eminet, atque a longe conspicitur.

Caput Duodecimum.

De aliis gratiis, quae gratiam Vocationis sequuntur.

Omnia dona, sive naturalia, sive supernaturalia, quae nobis dat Deus in ordine ad nostram animae salutem, et perfectionem, possunt dici gratia : quandoquidem dona indebita sunt. Jam loquuti sumus de gratiis interioribus, de gratiis nunc exterioribus loquemur. Religio est status, in quo profitetur quis servire Deo cum perfectione regulari, et personali : Regularis perfectio dicitur, exacte observare Regulas. Personalis, exacte se exercere in virtutibus Moralibus, et Theologicis, et supernaturalibus, quae magis propriae sunt Status, quem quis profitetur. Et quia iste finis adeo sublimis est, habet Religio media quoque valde sublimia, plurimasque gratias extrinsecas, quae conducunt ad eumdem finem obtinendum.

1. Gratia extrinseca est deficere, ut plurimum loquendo, exempla in deterius, quae malam vitam authoritate fulciunt, et consuetudine reddunt facilem ejus usum, et liberum, sublata omni poena. 2. est copia, quae frequenter habetur, bonorum exemplorum, quae nos affatim ad virtutem inflammant. 3. est, habere hîc locum, tempus, et commoditatem facillimam, exercendi poenitentiam, mortificationem, et orationem mentalem : quae sunt media necessaria perfectioni Regulari, et personali. 4. est frequentia Sacramentorum, simul cum facilitate, ac commoditate, quae adest ad ipsorum usum in Religione. 5. in Religione, quod ex rebus temporalibus opus est ordinarie habetur satis secure : qua de causa Religiosus eximitur a solicitudinibus conjugii, proventuum, et litium, nisi quis consulto velit se hujusmodi rebus implicare.

Quemadmodum aqua, ducta per canales, quamquam corpus onerosum et grave, quia se undequaque invenit oppressam; non deorsum labitur, sed sursum exsurgit intrepide, ut in fontibus patet artificialibus; pariter natura nostra, quae tanquam de se onerosa naturaliter defluit in imum creaturarum, tamen in Religione premitur quasi per canales, et compellitur aspirare ad verticem perfectionis. Quaero etenim ego : si hominem ingenii irrequieti clausurâ retineas, quomodo poterit vagari? si guloso denegetur cibus, nonne jejunare ipsum oportet? si loquax ad silentium compellatur, qua ratione garrulitati poterit indulgere? Hoc pacto se invenit homo quasi obligatum, ad abstinendum a non paucis vitiis, quorum sibi deest materia in Religione; atque necessitatem convertendo in virtutem, ipse alias malus bene se gerit in societate multorum. Super omnia sunt testimonium bonae conscientiae, facilis, quo gaudet, recursus ad Deum, obligatio mentalis orationis, et vocalis, atque aliae id genus permultae gratiae, quae valde ad salutem animae juvant, et ad perfectionem.

Caput Decimum Tertium.

De gratiis extraordinariis, et miraculosis.

Gratiae, quae vocantur gratis datae, donum patrandi miracula, prophetia, donum sanitatis, contemplatio infusa, ecstases, raptus, visiones, revelationes, donum magisterii spiritualis, donum lacrymarum, posse ad multos dies jejunare, ad septimanas, menses, et annos continuos absque ullo cibo, vitâ nihilominus integrâ : cruciare se poenitentiis extraordinariis, cingendo se

loricis, sese ustulando, palatum frequenti absinthio, acetove macerando, flagellando se catenis, urticis, clavibus, spinis, et hujusmodi aliis instrumentis poenalibus, retenta sanitate : omnia haec gratiae dicuntur extraordinariae, ac etiam miraculosae non raro, quae non subsunt regulis prudentiae humanae ; atque adeo possunt dici exceptiones regularum generalium spiritûs, quae quandoque replent animam humilitate, ac sanctitate, quandoque vanitate ; siquidem de se aptae inebriare, ac pervertere naturam humanam, quae in his sublimitatibus oblivisci consuevit vilitatem, et parvitatem propriam, et evanescit.

Nunquam vidi gratias id genus extraordinarias in personis exiguae capacitatis, quin obnoxias periculo gravi cernerem. Unde dum occurrunt faeminae intellectus obtusi, signatae vulneribus pedum, aut manuum, vel quae rapiuntur, aut suspenduntur in aere cum admiratione, plausuque populari ; nisi Deus miraculo has communicandi gratias, aliud miraculum ipsas in humilitate custodiendi adjungat, rara erit quae periculum evadat. Cum etenim istiusmodi gratiae non sint virtus, aut sanctitas, nec infallibile signum sanctitatis, sed possint esse communes bonis, et malis ex nutu Dei, uti Domino placuit, miracula fieri a Juda ; quando in publicum, nec sine plausu, nimis emergunt, vel animam feriunt, vel occidunt : si vero humilitate, circunspectione, ac verecundia, sedulo contegantur, multum promovent sanctitatem. Harum gratiarum negotiatio est, ut negotiatio auri, cujus vel lucrum, vel jactura, nunquam est quid mediocre.

Sunt alii ferventissimi actus, qui non sunt gratia, sed affectus gratiae cujusdam extraordinariae affectivae, quae vocatur fervor spiritus, et ebrietas divini amoris. Exemplo esto : « Si Deus ego essem, vellem « non esse Deus, quo Deus esset quod est. Utinam

« possem Deum infinito diligere amore! facerem om-
« nino, quamtumvis sub onere meam incurrendi aeter-
« nam damnationem. » Tantum amor divinus, qui animam inebriat, et praetergreditur rationem, tales actus probat. Etenim si res mensuranda esset ad normam Scholasticae Theologiae, haberentur pro actibus otiosis; utpote, qui versantur circa fines, et objecta impossibilia, proinde quae debito carent fine, imo nullo gaudent (qui enim finis impossibilis est, est perinde ac nullus), et actus sine ullo fine nequit non esse actus otiosus : at excessus amoris ultra extenditur, et coeca devotione probat, quod oculata ratio, et intellectus non assequuntur : hi nimirum actus vim excessivam portendunt amoris divini, a qua iidem justificantur, qui actus extra hunc amoris excessum elici non deberent.

Advertendum hîc etiam est, gratiam ferventis devotionis aliquando in furorem verti spiritualem, quo dicuntur verba, et opera fiunt, quae nec dici, nec fieri deberent extra talem statum. Ita quidam amantes divini ebrii hoc coelesti furore, dicunt mille simplicitates, teneritudines, ineptias, et blanditias, quae carent (ut fert loquutio Hispanica proverbialis) capite, pedibusque; ac certe in homine circunspecto, denotarent ista defectum reverentiae, ac decentiae, imo nimiam audaciam : supplet tamen in praedictis ferventibus devotio, quod rationi deest, unde nimium ferventes nimis imprudentes reputantur.

Caput Decimum Quartum.

Quomodo quis gratia, qua donatus est, contentus esse debeat?

Deus absolutus est Dominus bonorum suorum libe-

rorum, et gratiae suae dona distribuit, prout ipsi placet : sublimiorque Magisterii spiritualis gradus consistit, in cognoscendo quantitatem, et qualitatem gratiae divinae, discipulum docendo, quomodo debeat eidem cooperari : quin audeat humana industria sese anteponere gratiae divinae, nec parum faciet, si se accommodet illius passibus. Non debet Magister obrui multitudine, magnitudine, ac divinarum varietate gratiarum, quae in dies repererit in personis spiritualibus, ad se concurrentibus : quosdam inveniet poenitentiae valde addictos, sed parum obedientes : quosdam non mediocriter abstinentes cibi, qui tamen negligunt subjicere passiones : alii orationis tempus producunt, parum autem addicti mortificationi. Eximii obedientes non solent esse multum poenitentes ; et rarissima erit persona spiritualis, quae reperiatur cunctis perfecta virtutibus, et ad unguem, sed si est in aliquibus perfecta, imperfecta erit in aliis : qui poenitens est conqueritur de eo, quod non possit prolixae, ac placidae orationi vacare : qui autem oratione gaudet affligitur, quod poenitentiis non dat majorem operam, ut vellet. Haec generalis personarum spiritualium displicentia medium est, quo Deus eas in timore sancto, et humilitate conservat.

Primum Pater spiritualis studeat, ad justum inducere medium haec desideria : nam si declinent extreme vitiosa erunt, et animam perturbatam reddent. Secundum hi tales animadvertant oportet, durum esse litem intentare in Deum pro bonis liberis gratiae : noverintque, in re ista melius cum Deo negotium promoveri humilibus, et resignatis precibus, quam suspiriis jactis ex impatientia. Tertium bene sciendum, quemadmodum omnes in coelo contenti sunt parva, vel magna gloria, qua gaudent, ita et hîc in terra contentos esse debere cum parva, vel magna gratia, qua donamur a

Deo : et cum non omnes sancti esse possimus primae magnitudinis, contenti simus cum sanctitate mediocris virtutis : cumque qui recipiunt, non eligant, qui adeo gratis divinam recipimus gratiam, simus valde grati necessum est pro vel minimo gradu suscepto ; quantumvis denique gloria ex justitia reddatur obeuntibus in gratia habituali, eadem tamen gratia ex pura nobis misericordia donatur.

LIBER OCTAVUS

De Magisterio spirituali.

Caput Primum.

Quam multum intersit Magister spiritualis ; et de ratione conscientiae.

Vix decem ex mille animabus, quas Deus ad perfectionem vocat, vocanti correspondent ; et ex centum, quas vocat Deus ad contemplationem, nonaginta novem deficiunt : quapropter dico, multos esse vocatos, sed valde paucos electos. Et ultra difficultates permagnas, ac insuperabiles fragilitati nostrae, quibus negotium istud circumseptum est, una ex causis potissimis est inopia Magistrorum spiritualium (infelices Communitates, ubi desunt hujusmodi Magistri, vel si adsunt, incogniti sunt, vel nullo habentur pretio) : qui sunt post divinam gratiam Naucleri, qui animas per hoc incognitum mare vitae spiritualis recta conducunt. Ac si quidem Scientia nulla, vel Ars, ut ut mechanica, rite potest sciri sine Magistro, qui doceat : multo minus poterit quis bene assequi hanc Evangelicae perfectionis sapientiam, ubi tam profunda latent mysteria, visiones, revelationes tam ambiguae, raptus, ecstases, quae possunt a Deo esse, vel a daemone confingi : ubi virtutes morales, si a medio per excessum, vel per defectum abscedant, vitiantur facile : ubi theriaca orationis in venenum perditionis converti potest : ubi

possunt visiones revera esse illusiones : ubi anima laborando multum, potest lucrari parum. Qua de causa (moraliter loquendo) autumo impossibile, posse animam sine miraculo, vel sine Magistro, annos multos ire per sublimiora, et erectiora vitae spiritualis fastigia, quin perdatur. Unde ut Deus a miraculis non necessariis abhorret, ita delectatur in eo, quod qui per viam spiritus incedunt, se Patri spirituali committant, in cujus manibus omnes actiones, voluntates, et gustus resignent, et mancipent, nulla in se, sive in magno, sive in parvo, fiducia retenta. Et quemadmodum in Ecclesia Triumphante alii Angelorum edocent alios : ita Deo maxime placet, quod in Ecclesia Militante homines alii per alios erudiantur, quin ab ipso deposcant miraculosum per Angelos magisterium.

Porro cum Magister spiritualis tam necessarius sit pro Communitatibus, quae tendunt viâ spiritus, vix tamen reperietur ullus, qualis desiderandus : neque miror, quandoquidem in omni genere quod valde pretiosum est, semper est rarum. Jam vero Magister spiritualis, si partes suas implere velit, ante omnia debet Discipuli sui cor lucrifacere : quo semel obtento in ratione conscientiae, vel in Confessione, conscius fiet ab illo de omni re, bona vel mala, animae ipsius. Quod si tunc Magister nimis severum se, gravem, et morosum vultu, aut verbis ostendat : si portendat scandalizari ob defectus, detectos a Discipulo : si ultra modum, et iratus illum reprehendat : si parvi faciat quicquid bonum narrat de seipso; incredibile est, quantum illi damnum accerset; loco etenim amoris, timorem concipiet; utque amor omnia detegit, sic omnia obtegit timor : ex quo fiet, ut nunquam integram suae conscientiae rationem reddat. Contra si Magister sit lenis, facilis, et affabilis : si defectus diminuat : si modicum illud virtutum, quas refert,

moderate commendet : si existimationem praeferat de aliquali ea oratione, qua se ait Discipulus exerceri : si cum amore modum imponat poenitentiis illius, et jejuniis : si offerat, praebeatque reculas, ipsius corporis, et spiritus necessitatibus leniendis opportunas : more isto suavis, et amantis vere Patris, simul cum visceribus piae Matris, cor Discipuli suum faciet, indeque amare faciet Deum : quo habito, ipse sua sponte tot poenitentias, et mortificationes sollicitabit, ut fraeno magis, quam calcaribus egeat.

Quemadmodum Magistri austeri, severi, rigidi, et pro modo proprio impellentes ad poenitentias, et mortificationes, Discipulos educant compositionis fictae, plenos timoris, caremoniarum exteriorum (ut praestant aulici Ephoebi) magis instructos, quam ornatu vero virtutum : e converso Magister spiritualis, mitis, affabilis, et civilis, Discipulos efformat humiles, sinceros, ferventes, et humanissimos. Austeri Magistri melius virtutem docent, quam perfectionem : quoniam ad virtutem saepe proficit timor : ad perfectionem vero magis amor, quam timor confert : hic enim servos educat, ille filios Dei.

Caput Secundum.

In quo consistat spirituale Magisterium, et donum discretionis spirituum ?

Magisterium spirituale, ac donum discretionis spirituum, majore sui ex parte Donum est infusum, et certa species lucis Propheticae, qua quod in spiritu arcanissimum est penetratur. Duas continet partes, quarum

alia versatur erga principia universalia boni, et mali spiritus; et vocatur Sapientia, quae est cognitio superior per altissimas causas : atque pars ista est speculativa, pertinetque ad intellectum verum. Altera pars est practica, et pertinet ad judicium maturum, et quietum, judicans mature inter bonum, et malum, aut inter bonum, et melius : parsque ista versatur erga spiritus in particulari, judicium ferendo, si boni aut mali sint, et inter bonos quinam sit melior, et magis securus : quod judicium practicum de particularibus cognitionem universalium speculativam praesupponit. Lux hujusmodi gratia est gratis data, non solum ad spiritus cognoscendos, et ad penetrandum uno intuitu ipsos usque ad fundum ; sed etiam ad dirigendos, quo reddantur ex malis boni, ex bonis meliores, ex virtuosis perfecti; et cum perfecti sint, ad conservandos in humilitate, augendosque in charitate, in cujus charitatis augmento, et incremento perfectio consistit.

Eadem haec lux magisterii : 1. facit, ut Magister multum intelligendo, parum loquatur, plus doceat exemplo, quam voce : dissimulet, ubi oportet, et creaturas cum ipsarum pravo ingenio, sapore ingrato, aliisque naturae defectibus, fere noscat. 2. Magistrum, ne sit cerebrosus, voluntatis propriae, judiciique sui tenax, sed ad sequelam judicii alieni, maxime senum experientiâ bene instructorum, inclinat : nisi scilicet his in rebus, in quibus ratio, vel necessitas cogunt differre. 3. docet Magistrum, ut finem utilem debeat medio difficili praeferre. 4. docet eumdem, multum dulcedinis modico rigoris miscere : in rebus enim spiritûs rigor debet esse instar condimenti, quo non utatur, nisi quatenus temperate in bonam adducat executionem. 5. docet, ut oporteat identidem connivere cum debilibus in molliori licita ipsorum tractatione, cum puerilibus in suis ineptiis. 6. detegit grandes

abnegationis propriae voluntatis fructus spirituales : monstratque, spirituales propriae voluntati addictos, laborare multum, et proficere parum in spiritu, et sanctitate : ita ut si opera bona ex libito proprio facta mereantur ut sex, eadem opera facta ob libitum Dei, per Patrem spiritualem expressum, valerent ut viginti, perditione facta valoris a senario ad vigesimum. 7. facit, ut bonus Magister studeat, omnes addici obligationibus status, in quo Deus unum quemlibet collocavit, quin devotio, vel oratio pallio sint, quo tegere velint defectus in sua obligatione : persuadendo interim omnibus gradum aliquem poenitentiae, non impedientis opera majoris obligationis ; cum poenitentia scopa conscientiae sit. Denique detegit magis virtuosum, non magis cumulatum favoribus, esse sanctiorem : nisi virtuosior simul iste sit.

Lux ista practica illuminat oppido intellectum, calefacit voluntatem, regit et gubernat actiones proprias, et aliorum, penetrat corda, aperit arcana, dirigit affectus, defectus corrigit, ignem, devotionem, et spiritum, in cor bene dispositum immittit. Discipulo in publico se abscondit, in secreto se noscendam praebet variis, raris, et miris effectibus, quos causat.

Caput Tertium.

Dotes naturales, et supernaturales, quibus praeditus esse oportet congruus Magister spiritus.

Omne exquisite pretiosum esse solet parvum quantitate, rarum, et mirabile : cum itaque Magisterium spirituale, non tantum virtutem, sed etiam summum

perfectionis edocens, res pretiosissima sit, rem pariter rarissimam esse necesse est. Sicque inter centenos virorum, de oratione agentium, et Magistrorum virtutis, vix unus aliquis invenietur, qui sit perfectus, et consummatus Magister perfectionis : utpote qui debet esse, si non simul aetate, saltem judicio, atque intellectu maturus : debet esse perspicaciâ insignis, indole suavi, et benevola nobilis : mansuetus, et tolerans potius, quam animosus, et magnanimus : in agendi ratione familiaris : in urbanitatibus attentus, sed non nimius : promptus auxilio indigentibus, ac peculiaris captator voluntatum.

In eo quod acquisitum est, valde convenit, ut sit Theologus non vulgaris, vir in scientia non impar, et in diutina experientia : quae solent esse velut pater, et mater hujus coelestis Sapientiae. Scire debet, quidnam sit gratia, et in quo illa consistat, ut distinguere noscat motus vitales bonos naturae, et gratiae : et ut quoties repererit revelationes dogmaticas, et doctrinales, eas regulare sciat solidâ Theologiâ, ad amussim Scripturae, doctrinaeque SS. Patrum, et consuetudinum Ecclesiae.

In supernaturalibus, qui hujusmodi Magistri sunt, admodum sancti, et amici Dei esse solent, multae, diutinae, ac medullatae Orationis ; scientesque tam experientiâ propriâ, quam alienâ, in quo fastigium, et apex spiritualis vitae consistat. Hi compertum in semetipsis habent amarissimum derelictionis, suavissimum contemplationis, simul cum abditissimis hujus ingressibus, et egressibus : experti norunt, quid unio, revelatio, ecstasis, et raptus sint : ipsorum verba quadam vi practica pollent, quae animas afflictas solatur, tristatas recreat, erigit pusillas, et promovet proficientes ; ipsorum vel recordatio Discipulis solatio est, quorum et aliquibus in spiritu assistunt, quae quidem

assistentia, et praesentia iisdem ingenti solatio est. De quibus loquimur Magistri, sunt interius singularissimi, ac plene divini coram Deo; exterius vero sunt simplici, communi, et suavi ritu tractabiles : non dominos se putant, sed dispensatores gratiae, qua gaudent; tanquam causae sunt universales, quae sese accommodant causis particularibus, quibuscum concurrunt, prout istae illarum egent virtute : cum nobili sunt urbani, cum docto disserunt, cum Praelato gubernant, cum puero repuerascunt; cum mediocriter virtuoso non agitant puncta sublimia perfectionis, ne illis noceant : cum his qui exiguae sunt capacitatis, contenti sunt, si modicum exprimant virtutis; et juxta donum, unicuique tributum a Deo, ipsum dirigunt per vias ejus proprias. Iidem tenerrimo prosequuntur amore Jesu Christi Humanitatem, cujus praesentia continua reddit illos honestos, modestos, tacitos. Nisi prudentissimi sint, non parum persecutionibus vexabuntur a carnalibus, quorum consuetudine non utuntur, nisi eminus, et raro.

Caput Quartum.

Admonitiones Magistro spiritus congruentes.

Advertendum primo, virtutem, quae in exacta divinae juxta, humanaeque obligationis executione consistit, fundamentum esse omnis perfectionis : neque potest magna esse perfectio, ubi parva est virtus. Quam ob causam ante omnia curare debet Magister, ut anima Discipuli virtutibus sit ornata, obligationibus suis ex integro satisfaciendo; subindeque operam navando,

per hanc viam regiam, et securam, eluctandi ad altissimum, et summum verticem omnis perfectionis.

Secundo advertendum, virtutes morales, quae ad actiones humanas recte gubernandas ordinantur, ita in medio consistere, ut si ad alterutrum extremorum declinent, in vitia deveniant : v. g. humilitas nimia vilitas est : nimius fervor spiritualis redditur brevis furor, et imprudens : poenitentia, si est externa, et plausibilis inusitate, abit in jactantiam : devotionis excessus orationem excaecat. Indeque plus aequo devoti sunt quoque plus justo audaces, mala poenae quandoque non metuunt, et mala culpae contemnunt, eo timore destituti, quem propria fragilitas incutere debuisset. Istos Deus in aliquas imperfectiones labi permittit, quo in illis aedificet compunctio, et humilitas, quod destruxit prasumptio, et vanitas, inseparabile vitium ab incipientibus nimium devotis.

Tertio, magnam rationem habeat Orationis vocalis ; et si aliqua in Communitate Religiosa, ubi Oratio mentalis fit ex regula, vel obligatione, aliquis reperiatur valde ineptus ad hanc Orationem, addicat illum ad Rosarium suum, et alias orationes, ac devotiones faciles recitandas, quamdiu ceteri occupantur oratione mentali ; melior est enim oratio aliqua, quam nulla.

Quarto, accommodetur Magister parvae, aut magnae Orationi Discipuli, et satagat in ipsa illum illuminare, atque ad profectum juvare. Si Discipulus in meditatione Novissimorum invenit succum, gustum, et appetitum ; juvet ipsum hac via impense. Si autem Discipulus meditatione Vitae, Passionis, Virtutum, et Mortis Domini Nostri Jesu Christi delectetur ; auxilio sit ei quam libentissime atque ipsius cordi amorem, et aestimationem instillet hujus sanctissimae Humanitatis : haec enim est auri-fodina, ex qua Sancti omnes divites fiunt. Porro nullum applicet ad Contemplatio-

nem : utpote quae gratia est de sursum descendens, dandaque a Deo quando, et quomodo ipsi placuerit.

Quinto, quantumvis Magister in publicis exhortationibus semper in communi exigat ab omnibus summam perfectionem, summam orationem, summam poenitentiam, et summum obedientiae, in particulari quietari debet, vel invitus, cum virtute valde mediocri, et ordinaria, ne totum perdat : si etenim exigatur a debili quaedam perfectio, quam ille reputat impossibilem, et exigua, quam habet perfectio contemptibilis redditur oculis Magistri, ex mediocriter virtuoso vertetur in vitiosum occultum, et obtectum.

Sexto, non aestimet Magister, hoc Evangelicae perfectionis negotium esse repentinum ac deproperandum : perfectio enim repentina est vicina casui, et qui nimis festinat, solet magis morari ; siquidem cursus velox, et vehemens, in via longa, et aspera, potius morae confert, quam assecutioni finis intenti.

Septimo, voluntas propria venenum est perfectionis, et virtuosi voluntati propriae addicti laborant multum, et parum merentur, atque opera quae offerunt Deo, sunt ut lapides ordinarii; at vero perfectorum, qui suam abnegant voluntatem in Superioris manus, et illam offerunt Deo, unumquodque opus Deo ita oblatum, est ut adamas, parvulus quidem mole, sed oppido grandis pretio. Certe quantum quis superat in perfectione, tantum illum Deus intus movet ad abnegationem : perfectus, et voluntatis propriae cupidus, contradictionem involvit.

Octavo : perfectio propria non ita virtus alterius, sustinet violentiam : quanto enim quis sibimet magis violentiae infert, solet magis esse perfectus : perfectio tamen alterius est ad instar vitri delicati, quod vi, et violentia crepat, frangitur, perditurque ; suavitate crescet ea perfectio : timor, et rigor, vitricus, et nover-

ca sunt perfectionis alterius : attamen benevolentia, et amor, pater sunt illius, et mater, qui generant ipsam, alunt, et in subjectionem adducunt spontaneam. Concilietur alterius cor, ut amore Dei capiatur : hic est modus reddendi perfectos.

Caput Quintum.

In quo consistit capacitas naturalis, et supernaturalis in ordine ad perfectionem.

Dispendium temporis, est multum laboris impendere in materia spiritus cum personis incapacibus, quales sunt homines hebetis intellectus, distorti judicii, pravique ingenii ; quorum passiones aeque frequentes sunt, ac vehementes, atque rationem crebro excaecantes. Tales quandoque non parum erit, si Legem Dei, et obligationes, statui suae professionis insitas, adimpleant. Solent inimici, et ex diametro esse oppositi spiritualibus ; utpote qui sua compositione, ac modestia, taciti accusant eorum incompositas actiones, modumque vivendi saecularium more, de quo ipsi gloriantur. Hoc hominum genus ruina sunt alicujus Familiae Religiosae : siquidem incapaces valde cum sint omnis boni, capacissimi sunt omnis mali.

Capacitas naturalis, quae requiritur ad gradum heroicum perfectionis, consistit primum, in bono intellectu, quieto, et veritatis amante, potius quam arguto, subtili, et ad iracundiam prono : quia nimium arguti solent esse novatores faciliores ad facienda verba, quam opera, virtutis, et perfectionis. Deinde in bono, maturo, et tempestivo judicio : si enim fuerit pravum,

nunquam boni aliquid eliciet. Tertio in bona indole, facili, docili, mansueta, civili, et amabili; qui bonum naturae ductu appetit, malumque fastidit: si autem fuerit indoles proterva, contumax, inconstans, et ad malum proclivis, et ad superbiam, parum non erit vincere se ipsum, qui hujus est indolis, et multum erit, observata Lege Dei, adimplere obligationes sui status. Quarto consistit in non abjecta, et non sapiente pravitatem ad mores inclinatione: contra vero nobilis conditio, humilitate praemunita, mire capax est omnis sanctitatis. Quinto in quodam ingenio ingenuo, veritati addicto, inimico cujusvis duplicitatis, affectationis, fictionum, et malitiae: quoniam hominum genus versipelle, proditoriumque, plerunque intentione laborans obliqua, non sinit recta ire ad perfectionem. Sexto aetas competens sit oportet, quin valde sit puerilis, aut nimium provecta: quare tempus commodissimum auspicandae perfectionis est juventus, et adolescentia, priusquam vitiosi habitus saeculi radices agant, adolescantve passiones, et cum excessu praevaleant: tunc temporis vires ad poenitentiam suppetunt, puritas ad conscientiam, vis ad tolerandum cum patientia, docilitasque facillima pro exequutione bene, promptequeque praestanda mandatis obedientiae.

Capacitas supernaturalis primo consistit in quantitate, qualitateque primae vocationis; quae solet esse ad instar dotis, qua pater filiam in statu collocat; unde istam agere totam vitam commode, vel in egestate, ordinarie dependet. Secundo perpendenda ratio inspirationum, aut priorum affectuum, frequentius praevalentium in anima: illi enim sunt veluti pulsus, gradum indicans perfectionis ad quam Deus animam disponit, et vocat; sunt quippe semina sanctitatis. Tertio respiciendum, ad quas ex virtutibus magis animus inclinatur, et quaenam cum ipsius inclinatione

naturali magis conveniant. Quarto examinandum, quo quis orationis dono, et in quo gradu, a Domino donatus sit. Quinto perspiciendum, quo appetitu, gustu et applicatione in res feratur spirituales, et ex materiis piis a quibus magis trahatur. Sexto quaenam sit intentio, frequentius in operibus ipsius tenens primatum. Septimo quae perfectionis alat desideria, et quomodo vocationem suam aestimet.

Haec omnia in ratione reddenda conscientiae fient perspicua : et secundum capacitatis modum studeat Magister magnâ, vel parvâ imbuere Discipuli animum perfectione, et sanctitate : si enim amphorae decem liquoris mensurarum capaci velis centum ingerere, perditio erit, et vix retinebit illas decem. Eadem ratione, propterea quod sanctitas sese accommodet capacitati naturali, reperitur in pueris puerilis, in hebetibus hebetata, in prudentia expertibus sanctitas intempestiva. Sanctitas in foeminis est honesta, abscondita, pudica, solitaria : in juvenibus est animosa, et valida : in senibus venerabilis, quieta, prudens, et affatim experta. Quare pronuntio, ut quis evadat sanctus, bonus, et magnus, interesse multum, recipere a Deo indolem bonam, simul cum intellectu vasto, judicio, discretione, ac literis, aliisque talentis, quibuscum sanctitas illustrior emicat.

Caput Sextum.

De temperamentis naturalibus corporis.

Anima, dum corpus informat, ab organis, et temperamentis corporis dependet, tanquam ab instrumentis,

et dispositionibus, ad producendas operationes corporeas, et vitales, quales sunt videre, audire, incedere, loqui, etc., quam ob causam passiones animae symbolice accommodae sunt humoribus corporis. Ira passio est animae, cholera est humor siccus, et calidus corporis. Quando passio irae fel animat, magnamque spargit cholerae quantitatem per venas, corde simul ministrante spiritus vitales, quos et acuit bilis : tunc homo se demonstrat summe iracundum, et si debitum transgreditur terminum, furibundus efficitur. Sed enimvero ira moderata, cholerae item moderatae subsidio, principium est magnanimitatis, constantiae, virtutis, et fortitudinis : neque ullum ingens facinus naturaliter sine cholera inchoari potest, neque perfici. Si cholericus sanctitatem colit, et perseveranter perfectioni, et humilitati studet, in poenitentiis est constans, in operibus heroicis magnanimus, in oratione indeficiens, in obedientia promptus : at vero si cholericus vitiose in extremum declinat, evadit contumax, protervus, et incorrigibilis ; mavult mori, quam humiliari ; contentiosus est, et cerebrosus ; castigatus occultat vitia, non corrigit.

Acediae, quae passio est animae, correspondet phlegma, vel pituita, quae est corporis humor frigidus, et humidus. Phlegmatici condicionis sunt gravis, et quietae, atque in suis actionibus tardi : si evadunt insignes, ex ista conditione alitur prudentia, non sapientia, quae a scientia oritur. Hi melioris judicii, quam intellectus esse consueverunt. Si qui alii temporis, ac senectutis beneficio tranquilli, atque phlegmatici redduntur, cum cholerici extitissent in juventute, permagna gaudent prudentia ob longam negotiorum oppido gravium, quae peregerunt, experientiam : qui vero in juventute, perinde ac et in aetate virili sunt phlegmatici, solent esse insigniter insipientes, simpli-

ces, faciles, levis admodum intellectus, imparisque tam ad literas, quam ad sanctitatem.

Tristitia est passio animi, et melancholia humor corporis ipsi correspondens. Duo melancholicorum species numerantur. Alii sunt melancholici cholerici, et adusti: quorum melancholia conficitur ex faecibus sanguinis, unde terrestris est, nigra, frigida, et spissa : quod si accendatur cholerâ, et praedominatur, homines reddit insanos, furibundos, proditores, audaces, vindicativos, crudeles, et declives ad omne malum. Hi, si orationi mentali se dedunt, in illusos deveniunt, durae cervicis, et conditionis : tempestive illos ab Oratione retrahant, ne alias insaniant suis revelationibus. Alia est melancholia, quae a flore sanguinis effluit, et est minus terrestris, minusque habens frigoris, et plus caloris; continet etiam in se aliquos spiritus sanguineos, qui sic melancholicum faciunt docilem, blandum, et lenem. Hujusmodi melancholia tristitiam affert secum moderatam, tranquillitatem in actionibus, profunditatem in discursu, pondus, et maturitatem in judicio : nec hominem reperies magnum, prudentem, et sapientem, qui non habeat aliquid istius melancholiae, qua etiam participant in senectute, qui fuerant cholerici, dum juniores. Qui hoc humore insigniuntur, apti sunt devenire magni consiliarii, et gubernatores, profundique literati : et si spirituales esse student, ad Magisterium spiritus erunt idonei, utpote qui plerunque prudentes sunt, atque discreti.

Cholerici sanguinei sunt in pueritia, et juventute selecti temperamenti, ob praedominium humiditatis in sanguine : solent esse tardiores ad capiendum ; donec a siccitate cholerae sanguis acuatur, et depuretur extunc solent esse acuti, habiles, amabiles, plurimumque humani : sunt proinde ad sensualitatem nimium proclives : appetunt aeque delicias alias : virtutibus poena-

libus vehementer repugnant : haud tamen difficulter sese accommodant obedientiae, lectioni spirituali, et orationi. Si Magister illos per viam ingenio accommodam ducit, multum et celeriter in divino servitio progrediuntur. Hi sunt tamen in bono, quam in malo inconstantes : bene custoditi, evadunt servi Dei : at sibipsis relicti, si juvenes sint, et familiares fiant saecularibus, perduntur : eorumdem vitia ordinaria sunt amicitiae privatae, cupediae, puritasque non satis cauta : si custodiantur, sancti fiunt.

Caput Septimum.

Quomodo incipientes sunt juvandi?

Incipientes sunt communiter timidi, et ignorantes, inconstantesque in bono, et in malo. Si fruuntur devotione sensibili, audaces redduntur in faciendis poenitentiis : si dulcedines in oratione degustant, protinus occurrit ipsis, esse jam sanctos : si exercent se in virtutibus exterioribus, et plausibilibus poenitentiis, aut mortificationibus, in vanam gloriam incurrunt. Bonus Magister ignorantias ipsorum assiduis illustret colloquutionibus spiritualibus : ad perseverandum in vocatione suscepta erigat illorum animum, ad constanter exercendas virtutes proprias sui Status : in poenitentiarum moderatarum semita eosdem constituat, ne factâ salutis jacturâ, praetextu infirmae valetudinis mollis fiat : in compositione sensuum simplicitatem ipsis commendet ; nec patiatur affectiones fastidiosas, et sapientes hypocrisim.

Temperantiam in victu, paupertatem in vestitu ser-

vent : lectioni spirituali, Rosarii recitationi, aliisque facilibus devotionibus, suum tempus impendant : Sacramenta frequentent, Indulgentias lucrentur, Sanctissimum Sacramentum crebro visitent : ad Patrem spiritualem saepe recurrant, minutam ipsi rationem reddituri de bono, et malo suae conscientiae : tempus sit illis bene divisum, et per singulas horas destinatum exercitiis verrendi, lavandi patinas, legendi, recitandi, et orandi : varietate quippe affatim lenitur taedium, et fastidium, quo gravatur misera natura, et continuo virtutum exercitio fatigatur, prosternitur, et affligitur. Opus habet incipiens per intervalla temporis requiescere, ut indeficienti rerum spiritualium exercitio incumbat : proindeque sint dies in hebdomada, et horae in certis diebus huic levamini, sine quo totum perdi potest.

Animadvertat Magister, quaenam proposita frequentius eliciat discipulus, eumque in illis exequendis adjuvet. Observet, quaenam virtutes indoli sint ipsius magis consentaneae, atque in iisdem eum exerceat. Scire studeat, quodnam velut parvulum idolum in suo recondat pectore, hoc est, quanam laboret passionis parte magis praedominante ; paulatimque, non uno impetu, abradere curet. Non injungat Magister Discipulo mortificationes, coacte sustinendas, nec inventiones ridiculas, nec vestes a proprio instituto alienas illi permittat : prohibeat vero ipsi objecta, libros, conversationes, et convictus, quibus posset tepescere. Non sit frequens in tractando de gratiis gratis datis ejusdem statu superioribus, ut sunt raptus, ecstases, visiones, revelationes, contemplationes ; appetitus quippe istiusmodi rerum periculum affert incipientibus.

Quod si aliquis ex privilegio aliquam talem gratiam sortiatur, juvet illum Magister, ante omnia in solida

fundando humilitate. De humilitate, paupertate, patientia, puritate, obedientia, abnegatione, unione fraternae charitatis, jugiter agat : instillando suis discipulis accurate affectionem ad has virtutes morales; et ad orationem mentalem ; et unumquemque juvando, ut procedat, qua Deus illum ducit. Observantiam regularem, quae in custodia regularum, et instituti proprii consistit, sedulo curet : personalis enim perfectio paulatim acquiritur.

Caput Octavum.

Quomodo adjuvandi proficientes.

Solidarum, et substantialium virtutum, humilitatis, patientiae, castitatis, obedientiae, abnegationis, Fidei, Spei, et Charitatis exercitium est totius vitae spiritualis fundamentum, incipientibus, proficientibus, atque perfectis commune : at modus easdem exercendi virtutes perquam est diversus in singulis statibus, aut gradibus istiusmodi. Patientiam exercet incipiens, in sufferendo levissima ; proficiens illam exercet, in sufferendo aequitati graviter opposita ; perfectus in sufferendo falsum testimonium in re gravi honoris, doctrinae, vel morum : sicque cum virtus exercita una, eademque sit, modus est diversus. Incipientis est assequi orationem meditationis, proficientis orationem assequi affectionis, perfecti orationem unionis.

Magister discretus hortetur multum eosdem proficientes, ut ne omnino relinquant poenitentiam, utpote quae scopa est, qua purgatur ab immundicie conscientia; ut tamen curent magis passionum mortificationem,

tanquam ultimam dispositionem, cui Deus ligavit (moraliter loquendo) suavitatem, atque dulcedinem orationis mentalis : ut rursus obedientiam in aestimatione sua praeferant poenitentiae, istamque proinde relinquant, quando ita praescripserit obedientia : ut denique charitatem orationi anteponant ; relinquendo quippe Deum pro Deo, ipsum mox sublimiori modo, gustu, et suavitate, reperient in oratione.

Studeat omnes affici SS. Humanitati Christi D. N. : ut meditando identidem ipsius Vitam, Passionem, et Mortem, excitetur in anima fames, et sitis vehemens virtutes Salvatoris imitandi. Utinam bene caperent Magistri puncti hujus momentum : illudque docerent, fundarent, et saepe saepius discipulis inculcarent ! Per aliam partem ingredi, januâ istâ derelictâ, est per saltum septa transilire ut furem, non invitatum. Hi proficientes debent curare, intentionem habere rectam in actibus exterioribus virtutum vitae activae, ut in Cathedris, librorum scriptura, Praedicatione, Confessionibus, Missionibus, et itineribus. Vita ipsorum perquam exemplaris esse solet ; quoniam ex interiore, quam de Humanitate Christi D. N. habere solent, praesentia, plerunque derivant exteriorem compositionem in facie, atque in verbis, et actionibus suis exactam circunspectionem, ne aliis scandalo sint, sed aedificationi. Iidem proficientes, quo magis in oratione progressum faciunt, et ad Deum, resque divinas major est illorum adhaesio, eo magis experiuntur cor avelli, et affectum a rebus terrenis, et privant se curiositatibus, et superfluitatibus, quibus antea cor tenebatur, valdeque abhorrent ab oblectationibus et deliciis, quas concupiebant : nimirum quo propius ad Creatorem accedunt, eo longius recedunt a creaturis.

Caput Nonum.

Quomodo sint juvandi perfecti?

Suppono, perfectos esse praemunitos virtutibus solidis, substantialibus, et heroicis. Ea propter illi non tam egent juvari doctrinâ de his, quae debeant operari (de quo sunt plene docti), quam societate in viis peregrinis, et solitariis, per quas Deus illos conducit. Nimirum persona spiritualis, quae per semitam valde secretam, et solitariam derelictionis in contemplatione incedit, rara, et mirabilia experiens ; horrore percellitur a solitudine illius itineris incogniti, et anxie nimis desiderat societatem alicujus alterius personae spiritualis, quae ipsam capiat, et cui possit aperire quicquid boni, vel mali latet in conscientia sua : res etenim spirituales non communicatae, animam vehementer angunt ; et quantumvis in re sint bonae, tectas tenere sufficit, ut anxia, tristis, et pavida crucietur anima : si vero invenit a quo capiatur, vel ipsa sola communicatione conquiescit cor, ac tutum se credit ; maxime si Magister sit persona sancta, et bene conscia de his itineribus secretis ; tunc explicatu majus est gaudium, quo anima perfunditur, et securitas, laetitia, et recreatio, qua in via sua procedet. Interdum vel assertio praecisa de eo, quod rectum sit iter ab anima susceptum, sufficit, ut ipsa tristitiam vertat in consolationem.

Horum spiritualium duae sunt quasi species. Alii quippe sunt devoti, favoribus, ac deliciis desuper delibuti. Alii vero sunt tristes, aridi, desolati, et quasi orbi omni visu. Prioribus adhibenda consolatio, auscultando illos, approbando, et securam dicendo viam, qua ince-

dunt : expediet tamen aliquoties ipsos reddere securiores humilitate propriae cognitionis, vel voluntatem in aliquibus placiti proprii coercendo. Posteriores, qui tristitia laborant, fastidio, obscuritate, tentationibus, orbati luce, oratione, consolatione, deficientes animo, et taedio affecti, longe aliter juvandi sunt : scilicet verbis blandis, et spirantibus amorem, ac operibus patris, visceribus matris : lugeat ex animo cum lugentibus, ut ut possit : omni cum sinceritate fateatur, non sine ratione lamentari, cum valde sit profecto acerba eorum crux : memores sint vero, a manu Dei descendere, atque hac ipsissima methodo Aeternum Patrem cum Filio suo usum fuisse, idque ob ingentem, quo erga illum rapiebatur, amorem. Nunquam in ipsos eorum, quae patiuntur, culpam conjiciat, ac neutiquam dicat, poenam esse ob peccata eorum irrogatam ; sed omnia sunt ad benevolam Dei probationem referenda. Itaque Magister velut quemdam pium Simeonem Cyreneum exhibeat se, comitem ad crucem istam simul bajulandam. Hi tales sunt eximie sancti : atque huic derelictioni solet ex dono Dei succedere altissimus gradus suavis contemplationis. Grande obsequium fit Deo, auxiliando istis, quod simul est ingentis meriti opus.

Caput Decimum.

De Septem vitiis Capitalibus, quae in viris spiritualibus, Orationi addictis, reperiuntur.

Viros inter spirituales, Orationi deditos, aliqui sunt, qui venenum in theriacam, alii, qui theriacam vertunt

in venenum. Spirituales humiles, intelligentes, discreti, et cauti, modicam in se, plurimam in Deo fiduciam collocantes, qui ad Patrem spiritualem, vel alium inferioris notae confugiunt, daemonis illusionem solent, humiliando se, in sublimem convertere orationem : videlicet inserviente talibus illusione pro gradu, quo ad meliorem ascendunt orationem : ex tentationibus et praeliis coronas assequuntur, et victorias : ex favoribus majorem eliciunt humilitatem : atque adeo grati, et humiles, ac de se diffidentes valde, conservant procul a periculo Dei misericordias. Homines hi sunt discreti, et humillimi. Sunt vero alii, vasis valde immundis non absimiles, qui brevissimo tempore liquorem corrumpunt quantumlibet pretiosum. Hi scilicet tractu temporis Orationem vertunt in suam perditionem; deliciasque spirituales, favores, revelationes, atque alias misericordias, in plurimam vanitatem. Etenim labi consuescunt in aliquod ex vitiis sequentibus.

Primum esse solet secreta quaedam Superbia, qua quis aestimat se, ac ducit pro re magna, licet opibus non suis; reumque furti se constituit, dum honore, qui solius Dei est, vestiri praesumit. Qui tales sunt, per pudendos lapsus in se ipsos redeunt ; ut humilitas reficiat, quod vanitas infecit.

Secundum vitium potest esse Avaritiae spiritualis ; consistentis in siti quadam insatiabili bonorum spiritualium, respiciente commodum proprium, potius quam beneplacitum Dei. Qui tales fuerint, purificare debent intentionem, et moderari bonorum istiusmodi cupiditatem nimiam, quae ipsos cum inquietudine angit.

Tertium est luxuria spiritualis, sita in eo, quod natura nimium adhaerescat dulcedini, et suavitati, quam reperit in medio; quo fit, ut cor ab ultimo fine,

qui Deus est, divertat. Hoc vitio laborantibus expedit valde, ut quamprimum ipsis desit suavitas Orationis, ne faciant sui jacturam.

Quartum est Gula quaedam spiritualis, posita in appetendo cum excessu, quod est in Oratione sapidissimum. Haec est tentatio deliciosorum, et incipientium : Deo palatum siccitate Orationis macerante, huic vitio affertur medicina.

Quintum est Acedia : et consistit in recusanda abstinentia ab otio sapido Orationis pro negotio laborioso ex obligatione.

Sextum est Invidia, consistens in quadam tristitia ex eo, quod quis videat bonum spirituale alterius, et malum proprium. Cujus remedium est, imitationis ergo, et non ex tristitia, iniicere oculos in bona non sua.

Septimum est quaedam Ira spiritualis, quae in zelo indiscreto consistit. Quod est vitium proprium hominum austerorum, et imprudentium, ac studentium vitas aliorum reformare : non alia de causa, nisi quia, cum spirituales sint, putant hoc ipsis incumbere.

Haec, et alia id genus vitia virtutum nominibus palliata, inter spirituales grassantur : quibus vix, aut neutiquam remedium erit, nisi qui eis laborant, valde fiant humiles, et obedientes ad nutum Patris spiritualis.

Caput Undecimum.

De aliis vitiis, quae inter spirituales inveniuntur.

Homines carnales, qui vix de Deo sapiunt, putant esse hominem spiritualem, ac esse inculpabilem, ac

insensibilem, non differre; atque idcirco dicunt, spiritualem non debere habere, nec monstrare sensum in injuriis, ac litibus, nec debere irâ, impatientiâ, vel incommodo ullo temporali moveri; quasi homines non essent, quibus nequeunt deesse defectus, quibuscum, tanquam cum Jebusaeis, oportet ipsos pugnare. Imperfectionibus laborant, quae pro saburra ipsis sunt, ne navis ingenti auro perfectionis, quo est onusta, in fundum abeat: et vix aliqua ipsis inest moralis perfectio, quae libramento careat alicujus imperfectionis naturalis: adhuc etiam Oratio deliciosa solet tanquam saburra sustineri aliquo defectu quotidiano. Quapropter aliquot hîc apponam spiritualibus, et carnalibus communes defectus: qui non observantur in carnalibus, tanquam qui majorum peccatorum mistura offuscantur: in spiritualibus vero, cum sint defectus illi soli, facile oculos offendunt. Hujusmodi sunt sequentes:

I. — est imprudentia, comes vix separabilis devotionis, ultra modum effervescentis in incipientibus: devotio enim, ubi in extremum vergit, redditur passio, quae rationem obcaecat; unde plerunque nimium devoti sunt nimium imprudentes, ferunturque in operationes modum excedentes, et pueriles.

II. — est inurbanitas, et modica reflexio attentionis, orta ex imprudentiâ. Sunt aliqui rustici naturâ, qui dum spirituales devoti fiunt, licitam sibi reddunt conversandi rationem inurbanam, degenerando a more civili, atque vitium hoc ad spiritum mortificatum, et contemptorem Mundi referendo: cum tamen plerunque non a spiritu Dei, qui valde discretus est, sed a proprio ingenio rustico id ortum habeat. Hi squalorem, et neglectum in rebus suae curae commissis, ducunt pro apice spiritus, cum tamen sit illiberalitas naturae.

III. — est zelus indiscretus, quo spirituales se volunt constituere carnalium reformatores, licet hoc ad ipsos

non pertineat; sicque praetensa reformatio desinit in lites, strepitus, et discordias.

IV. — est, in aliorum actiones incompetentem se inquisitorem demonstrare : quo fit, ut ipsi aeque ingrati sint, et contempti.

V. — est, quod illorum aliqui sint captiosi, pertinaces, et contentiosi : atque hoc solo dicto, se Domino rem commendasse, negligunt regulare negotium, de quo agitur, cum ratione, convenientiis, et inconvenientibus, aliisque circunstantiis, atque intrepide procedunt ad imprudentem executionem.

VI. — est leviter scandalum sumentium ex defectibus aliorum : quo fit, ut tam sibi, quam aliis inquietudinem afferant.

VII. — est eorum, etsi pauci sunt, qui amici singularitatum exteriorum, et plausibilium, quibus tanquam hamo utuntur ad expiscandum honorem humanum, incedunt collo quasi fracto, vocem devotulam fistulae in morem diducunt, gesticulantur affectate, oculos contorquent, nimis morosi student de Deo loqui sine loci, temporis, et opportunitatis discretione, multaque obtrudunt de revelationibus, ecstasibus, et aliis superioribus gratiis : qua ratione simplices quidem deludunt, sunt vero scandalo scientibus; qui nihili pendunt hujusmodi hypocritas.

VIII. — est, iracundum spiritualem iram plerunque habere pro zelo divini honoris, etsi re vera non nisi proprium zelet honorem : itemque spiritualem phlegmaticum tarditatem suam aestimare gravitatem, sedationem, et majestatem; cum aliud non sit quam desidia naturalis, qua proprio indulget ingenio, et omnes suâ morositate gravat.

IX. — est, spiritualem simulatum, et versutum suam censere duplicitatem prudentiam; cum tamen saepe saepius sit insignis quaedam malitia, et sibi, et aliis non modice noxia.

Tandem cum etiam vere spirituales homines sint, et non Angeli, in his aliisque similibus defectibus propriam portendunt miseriam, ac fragilitatem.

Caput Duodecimum.

Aphorismi pro Magistris spiritualibus.

I. — Magisterium spirituale donum est in paucis pretiosum, quod multum operatur secreto, et in publico est otiosum.

II. — Sit Magister exemplari, quod Discipulus debeat imitari.

III. — Lucretur piam cordis alieni affectionem, qui cupit aliquem docere perfectionem.

IV. — Reddat cor amori Dei subjectum, et hominem faciet in oratione perfectum.

V. — Patienter toleret imperfectos, si vult illos obtinere perfectos.

VI. — Si Magister blande tractat fervidum incipientem, iste, abjectis deliciis, observantiam amplectetur ingentem.

VII. — Non sit Magister in mandando imperiosus, si vult ut sit Discipulus obsequiosus.

VIII. — Ad mensuram capacitatis, satis Magistro sit obtinere plus, minusve sanctitatis.

IX. — Si Discipulus ad normam ducitur vocationis, et inclinationis, cito aliquem conscendet gradum perfectionis.

X. — Religiosae urbanitates cum operibus, bonisque rationibus, quasi divinis philtris cor sanctis trahunt amoribus.

XI. —Qui se mortificat, altero cogente, quasi cibum gerit, stomacho non coquente.

XII. — Punire sine corde monstrante amare, non tam mederi est, quam vulnerare.

XIII. — Si se Magister monstrat iratum, discipulum experietur turbatum : at si se demonstrat humanum, gignet mitem in illo spiritum, et planum.

XIV. — In ratione conscientiae Magister sit memor prudentiae : et quantum in discipulo timoris, tantum appareat in Magistro amoris.

XV. — Si vult agnosci pro genuino Patre, sit opere largus, neque differat a tenera matre.

XVI. — Distinguere inter modos gratiae, ac naturae, virorum est sanctorum, et vitae insigniter purae.

XVII. — Si vult, ut discipulus brevî multum progrediatur, non parcus ad Eucharistiam accedere largiatur.

XVIII. — Licentiam vero dandam pro Communione, metiri debet ex congrua dispositione.

XIX. — Consilium quotidianae Communionis debet raro dari : et bina communio hebdomadaria sat erit vel devotissimo saeculari (1).

XX. — Nulla regula generalis est sine exceptione : atque ista Communionis pendet a discretione.

XXI. — Perfectio, quae per vim imprimitur alienam, magis habebit apparentiae, quam essentiam plenam.

XXII. — Extra viam graditur sua cum perfectione, qui nimia utitur festinatione : si enim non lente festinatur, totum periclitatur.

XXIII. — Sanctitas repentina distat parum a ruina : siquidem in nulla permanente incrementum acquiritur repente.

XXIV. — Qui tractat de animabus dirigendis ad perfectionem, tractet hoc negocium cum Deo per multam orationem.

(1) *Videnda in Appendice nota C.*

LIBER NONUS

Examen Spiritus.

Caput Primum.

Quid sit Spiritus? et de quatuor principalibus Spiritibus.

Unum ex praecipuis Magistri spiritualis muneribus est examinare, cognoscereque omnia Spirituum genera; sive ad convertendos malos in bonos, sive ad mediocres in meliores reddendos, sive ad sublimandos perfectos : et ad virtutes solidandas, quae sunt omnino necessarium perfectionis fundamentum, ita ut sine illis non perfectio sit, sed illusio. Et cum spiritus sit quaedam interior animae propensio, quae, licet mala, sese occulere potest sub specie bona, et contra spiritus bonus potest habere speciem spiritus mali : hinc multum interest agere de omni genere spirituum, bonorum et malorum, vel qui virtute ac vitio, perfectione atque imperfectione afficiantur; ne aberratio fiat in re tanti momenti, qualis est internoscere spiritus.

Spiritus est, ut aiebam, quaedam interior animae propensio : si est ad bonum, erit spiritus bonus in illo genere; si ad malum, erit spiritus malus. Homo, qui propensus est ad Orationem, dicetur habere spiritum orationis; si ad Poenitentiam, habere spiritum poenitentiae; inclinatus ad lites, et contentiones, dicitur

habere spiritum contradictionis; inclinatus ad recollectionem, solitudinem, et paupertatem, hujusmodi quoque rerum dicitur habere spiritum. Hac ratione inclinatus ad orationem, sui compositionem, modestiam, silentium, bonum exemplum, loquens, tractans, et cogitans de rebus spiritualibus, Vir dicitur spiritualis.

Spiritus duas continet partes. Prima, et principalior, est intentio; quae tanquam illius est substantia. Secunda exequutio, quae est veluti accidens: nisi tamen exequutio sit obligatoria, quo casu erit valde substantialis. Spiritus ille, qui bonus est in intentione, at in exequutione imprudens, remissus, aut nimius, ascendens, aut descendens, in aliquod extremum; dicetur bonus substantialiter, licet accidentaliter malus sit, imprudens, et imperfectus. Contra si mala, vel obliqua est intentio, quantumvis jejunet, recitet, ploret, oret, patretque miracula, talis spiritus substantialiter malus est, et tantum accidentaliter in apparentia externa bonus.

Dividitur Spiritus in quatuor spiritus generales.

Primus est bonus, et Dei. Secundus malus, et Diaboli. Tertius profanus, et Mundi. Quartus est spiritus amoris proprii; cujus finis, et substantia est propria commoditas. Primus spiritus est bonus, et divinus: per gratiam nos inclinans ad bene vivendum, ad fugienda, declinandaque peccata, frequentanda Sacramenta, solicitandamque accurate nostram salutem, et perfectionem, adhibitis mediis necessariis.

Secundus est spiritus malus, et natus ex Diabolo: qui spiritus, quando simulare se minime curat, aperte inclinat in omne genus peccatorum mortalium, quae

cadere possint in proprium cujusque statum, qualia sunt jurare, mentiri, etc. Quando vero est occultus, habita intentione mala, signa praestat bonitatis in exteriori executione, juxta ingenium cujuslibet : in hypocrita modestiam affectat, in irrequieto charitatem cum proximo; atque adeo speciebus, et apparentiis bonitatis studet suam operire iniquitatem.

Tertius spiritus Mundanus, quando negligit simulari, est profanus, et vanus, deliciis deditus, et otio. Quando autem occultari praetendit, ac divendere se ut spiritum bonum, plausibiles ostentat humilitates : ipse talis interdum se vituperat, ut collaudetur ab aliis : humanis respectibus oppletus est : curat nimis multum, quid de se dicant homines : in virtutibus interioribus tepidus est, debilis, et remissus : in exterioribus spiritualis, circunspectus, attentus, quo in his aucupetur existimationem : totumque vanitas est, vacuum humilitate.

Quartus spiritus amoris proprii, perquam solicitus est pro commoditatibus carnis, et consistit in humana quadam prudentia, quae actiones virtuosas regulâ commoditatis propriae metitur : in oratione ad modum faciliorem, et suaviorem inclinat, ad minus laboriosa in obedientia, et ad minus poenalia in poenitentia. Spiritus iste in incipientibus fingitur esse Medicus, qui praeoccupat infirmitates; in proficientibus vocatur discretio, quae occurrit inconvenientibus; in perfectis nominatur prudentia, quae nimium praevidere, ac providere curat quicquid possit contingere : ubi autem finis est propria commoditas, nec Medicus revera est, nec discretio, nec prudentia, sed spiritus amoris proprii, nominibus illis veluti baptizatus, ut vulgo Hispani aiunt.

Caput Secundum.

Varia spirituum, qui boni sunt, et virtuosi, genera.

Vita spiritualis dividitur in vitam virtuosam, et vitam perfectam. Virtuosa est, quae rite suas adimplet obligationes. Perfecta, quae obligationi addit supererogationem. Quare primum de spiritibus virtuosis, subinde de spiritibus perfectis agemus.

Omnis spiritus bonus vere virtuosus fundatur in observatione Legis Dei. Atque adeo :

Primus spiritus virtuosus est spiritus boni Christiani ; qui observando legem Dei, obligationibus sui Status satisfacere studet.

Secundus est spiritus pius ; qui Christianitati pietatem adjungit, orando, frequentando Ecclesias, Conciones, et Sacramenta : quae pietas Christiana communis est omnibus Statibus, et ab omnibus curari debet.

Tertius spiritus virtuosus Christianitati adjicit specialem Charitatem Dei, et proximi ; eleemosynas largiendo, exercendo tam misericordiae spiritualis, quam corporalis opera, docendo, praedicando, Confessiones audiendo. Atque hic spiritus virtuosus et in se talis est, et utilis proximo.

Quartus est spiritus virtuosus perfectionis Evangelicae laxatae : qui primum fuit spiritus perfectionis, et etiamnum talis est, quantum ad perfectionem sui Status. At infirmitas humana tractu temporis in multis, non in omnibus personis, desciscere illum fecit in spiritum mediocris virtutis : ubi suavis tractatio corporis in pretio est, et procuratur ; ambitio toleratur ; paupertas accommodatur licentiis generalibus, quae ita Professioni sufficiant, ut multarum rerum admittant

possessionem; obedientia in rebus aliquibus sustinetur, non in omnibus. Ex his qui boni sunt, magni sunt sancti: qui sunt mali, pessimi sunt; et tanquam ex pulcherrimo Angelo fit teterrimus daemon (1).

Quintus est spiritus speculativus; qui scit, et loquitur satis bene de virtutum excellentia, et perfectione: at ubi advenit occasio, in praxim eas redigere nescit. Probe scit, in quo patientia consistat; et quando aliquid ipsi fit injuriosum, querulum, et iracundum se praebet: novit, in quo sita sit humilitas; sed a vanitate se tueri nescit. Hi sunt ex illis spiritibus, qui substantialiter sunt boni penes intentionem, sed accidentaliter mali quantum ad exequutionem.

Sextus spiritus virtuosus est eorum, qui aliquibus sunt praediti virtutibus, sed mixtis aliquibus vitiis. Sunt recollecti, et modesti; sed ex alia parte invidi, ac observantiae zelo indiscreto correpti: jejuniis addicti sunt, sed pariter detractores. In hujusmodi debet in pretio haberi bonum, et tolerari malum: quamdiu scilicet vitium non transit ad esse morale peccati.

Caput Tertium.

Varii spiritus vitiosi.

Contraria juxta se posita clarius elucescunt. Et ideo, sicut infra post spiritus perfectos spiritus imperfectos subdemus; ita nunc, ut spiritus virtuosi melius innotescant, juvat in hocce Capitulo recensere praecipuos omnes spiritus vitiosos.

(1) *Vide in Appendice notam D.*

Missis procul Gentium, Maurorum, Turcarum, et Judeorum pessimis spiritibus :

Primus Christiani baptizati spiritus malus est, qui mundi res inclinat in fractionem Legis Dei plurimis peccatis lethalibus cum perseverantia, et obstinatione.

Secundus spiritus malus est Haereticorum, Illuminatorum, et Schismaticorum ; qui a supremo Ecclesiae Capite separantur, tanquam putrida membra, et prava dogmata docent, Fidei, et bonis moribus adversa.

Tertius spiritus malus est Impietatis, qui male sentit, pejusque loquitur de Imaginibus, Indulgentiis, Reliquiis, Iconibus, Agnis Dei : quae sunt media sancta, pietatem foventia Fidelium, qui melius his exterioribus rebus manuducuntur in Deum.

Quartus spiritus malus, qui ad abusum inclinat de rebus Sacris, et Ecclesiasticis ; scilicet ad aucupandum exinde splendorem, auram popularem, famam, honoremque profanum. Qui proinde spiritus est vanus, profanus, superbus ; neque unquam studio avaritiae parcit, aliisque publicis vitiis.

Quintus est, qui ad abusum de rebus piis, et sacris inclinat, inde captaturus lucrum. Nihil de Simonia loquor, quae spiritus est diabolicus omnino : nec de Oblationibus, Fundationibus, et Eleemosynis, queis licite aluntur Ecclesiastici. Loquor de abusu quorumdam Sacramentorum, aliarumque rerum piarum, quibus pauci nonnulli utuntur, a timore Dei alieni, tanquam instrumentis suae cupiditatis. Ilic est spiritus vere Satanicus, ab Ecclesiasticis sanctis, et cordatis reprehensus, et damnatus.

Sextus est spiritus hypocrisis, qui per caeremonias pias, devota verba, et virtutes apparentes, humanas laudes conquirit, et cupedias. Hi loquuntur bene, agunt male, atque occultis scatent peccatis.

Septimus spiritus est quorumdam hominum in par-

ticulari, qui pervertunt, et adulterant spiritum perfectionis Regularis : etenim Statum spiritualem vertunt in modum vivendi temporalem, interdum commoditatem intendentes potius, quam sanctitatem. Isti secretis abundant peccatis, et publicis : eorumdemque aliqui, tanquam daemones incarnati, abutuntur mediis Religionis ad propriam damnationem.

Octavus spiritus malus est, quo aliqui moventur homines vani, superbi, ambitiosi, in multa effusi, et sese ingerentes, ac turbulenti. Cumque hi trium, aut quatuor virtutum apparentiam habeant, ter duodena miscent vitia, peccataque, publica juxta et secreta; demum in personas magnarum tragaediarum abire consueverunt.

Caput Quartum.

Varia genera spirituum perfectorum.

Virtus est fundamentum perfectionis : unde si spiritus non sit virtuosus, nequit esse perfectus. Et siquidem spiritus virtuosos in quasdam revocavimus classes; ita consultum videtur, ut pari methodo utamur erga spiritus perfectos, et imperfectos. Duo cardines, in quibus tam praecise virtuosi, quam etiam perfecti, semper volvuntur, sunt *Humilitas* et *Patientia* : humilitas interius erga Deum; patientia et mansuetudo exterius erga creaturas. Humilitas pro spiritu conservando, patientia pro eodem augendo. Humilitate, ultra demissum, quem quis habet, de se ipso conceptum, grandis gignitur timor, et diffidentia suae propriae imbecillitatis, et miseriae, in animae recessu, atque ipsis favo-

ribus debet ista diffidentia succrescere : siquidem spiritus sibi confisus solet esse negligens, et vano affinis est ; contra tamen amor in timore fundatus reverentiali, valde securus est, et oppido capax favorum ingentium. Jam vero

Primo spiritus perfectus est spiritus contritionis, et compunctionis : quia cor contritum, et humiliatum, adhuc in peccatore, initium est omnis perfectionis.

Secundo spiritus fervens, humilis, et in proximos charitate affectus, licet aliquibus excedat fervoribus imprudenter, est in substantia, et intentione perfectus.

Tertio spiritus austerus, silentii cultor, recessûs amans, et poenitens, licet modico veneni propriae voluntatis conspergatur, si orationi mentali cum humilitate deditus est, bonus est, et sanctus : caveat tamen a se ipso : periculo enim expositus est philautiae, ac gloriae vanae.

Quarto spiritus est eremiticus, multum ad solitudinem, et recollectionem affectus ; ad vestem vilem, et crassam, ad habitationem arctam, at mundam, ad victum vulgarem, sed sufficientem. Iste cum boni Magistri ductu affatim perficitur.

Quinto spiritus multae, longae, ac suavis orationis, sed cum modica poenitentia, et mortificatione, bonus spiritus erit, si repériatur in adhuc incipiente, vel in privilegiato : alias erit suspectus. Praestaret e converso, ut plus haberet mortificationis, licet minus orationis.

Sexto spiritus, qui facile ad interiora se recipit, cum amatoria quadam Dei praesentia, deliciis affluit ; maxime si sese interius accusat, inhonorat, ac deprimit, compunctus in conspectu Dei, respiciendo se adeo debilem, miserum, inconstantem, et ingratum. Hi spiritus est solidus, securus, et ingentium favorum capax.

Septimo spiritus, qui cum divinis favoribus, deliciis,

lacrymis, visionibus, et ecstasibus, humilior evadit, timidior, et gratior, simulque in suis oculis vilior, et parvulus, in omnibus ad Patrem spiritualem confugiens, procul a voluntate propria, et sui confidentia : hic est spiritus bonus, sanctus, et securus. Grandis humilitas, et fortitudo est, parvulum esse in oculis suis, quando magna est anima in oculis Dei, et Mundi.

Octavo spiritus, cujus revelationes, raptus, et favores cadunt supra fundamenta solida virtutum moralium, Obedientiae, Castitatis, Paupertatis, Humilitatis, et Patientiae, maxime si crescunt, et perficiuntur hae virtutes ipsis illis favoribus ; iste haud dubie spiritus est apprime sanctus, solidus, et securus. Timet ille laudes humanas, et auram popularem, tanquam quae vanitatem ingenerant : si vero aliquis spiritus ferre potest laudes, quin jacturam faciat, nec denigretur, aut inficiatur ; erit in vi solidarum virtutum.

Nono spiritus peregrini, et extraordinarii, qui subinde habent in suo corpore signa Passionis Domini, sanguine sudant, rapiuntur per aëra, et miracula faciunt : si magna ista cum subeant, vere fugiunt humanum plausum, abscondunt se, res suas sincere occultant, laudes horrent, sereno vultu ferunt contemni, delicias, aut commoda non appetunt, sed humiles sunt, patientes, obedientes, osoresque singularitatum, bonus est spiritus. Verum plerunque hi spiritus, etsi boni, aliquas sustinent imprudentias, et singularitates ; propriae aliquid voluntatis retinent, nec omnino a laudibus, et plausu abhorrent. Fugiant hi, taceant, et abscondant se ; alias perdentur.

Decimo spiritus humilis, pauper, patiens, et poenitens, qui honores ducit pro inhonorationibus, plausum popularem pro daemone, qui occultat pro viribus favores, a Deo susceptos, cui sapit angulus, desipit forum ; talis spiritus ex dono contemplationis perficitur,

ex favoribus humiliatur : si tamen dono miraculorum polleat, caveat ut sui non sit impotens. Talis idem spiritus, adeo fortis, et firmus, bene potest ferre laudes humanas, non quaesitas : quaesitae autem vulnera sunt lethalia.

Undecimo spiritus contemplativus, qui per intervalla quaedam oculos in sua conjicit peccata, et aliquantulum de Novissimis Mortis, et Inferni meditatur, cujus ordinaria oratio est Vita, Passio, et Mors D. N. Jesu Christi, obligationibusque sui Status consulit bene ; spiritus est solidus, et securus, ac ingenti donabitur vi favorum.

Duodecimo spiritus Christi, qui cogitat, meditatur, et procurat imitari Vitam ipsius, Passionem, Mortem, et virtutes; est spiritus bonus, et securus : siquidem Christus est via, et vita. Nunquam vidi hominem eximie sanctum, et multae Orationis, qui non intret per istud ostium, qui non incedat hac via, et qui veritatem in hacce humilitate non inveniat. Confugiant omnes ad Christum, et in illo invenient omnia coacervata bona spiritualia.

Caput Quintum.

Varia spirituum imperfectorum genera.

Quamquam verum sit, causas secretas in rebus naturalibus per effectus manifestos subinde cognosci : at in moralibus, et actionibus humanis, ubi libera dissimulatio locum habet, saepe corrupta quaedam intentio, et spiritus malus, externa dissimulatione operiri potest ; et cum sit superbus, fingere se potest,

ac demonstrare humilem ; cum sit inhonestus, exterius praeferre castitatem. Caeterum quia in longa simulatione vim sibi natura infert, et nihil violentum perpetuum, serius aut citius homo in operationibus externis internas aperit inclinationes : si est hypocrita interius, exterius erit in caeremoniis nimius : si superbus est, ambitiosus, et vanus interius, exterius solicitabit, quo luceat, ascendat, et aestimetur. Itaque actiones externae solent esse tanquam arteriae pulsus, qui bonum perinde ac malum internum salutis ostendit. Quo posito,

Dico primo, illum omnem spiritum, cujus effectus exterior est, turbare pacem, et seminare discordiam, etsi faciat miracula, ista in re malus erit spiritus, et imperfectus : siquidem pax est propria Dei, et discordia propria diaboli.

Secundo spiritus, qui affectat sui compositionem, mendaciola, fictiones, et caeremonias, est spiritus hypocrisis, qui per id, quod est in externo virtutis splendidius, propriam conquirit aestimationem. Illo proinde spiritu infecti, multis vitiis occultis laborant.

Tertio spiritus austerus, et valde poenitens, si populari aura inescatus, vanus, et jactabundus evadit, malus est : quatenus poenitentia ipsius in vane gloriosam vertitur jactantiam.

Quarto spiritus multarum revelationum, visionum, raptuum, aliorumque favorum, sine multa poenitentia, humilitate, atque obedientia, plus habet spiritus fallacis, quam veracis : nec enim proprium Dei, sed diaboli est, deaurata superaedificare visionum capitella sine fundamento solido virtutum moralium.

Quinto spiritus virtuosus, nimis tamen addictus propriae voluntati, licet multâ maceretur poenitentiâ, et orationi mentali longas impendat horas, redditur imperfectus, et malus : siquidem id quod minus est,

scilicet exterioritatem actionis, Deo cedens, propriam voluntatem, quae potissimum est, sibi reservat. Multum propriae voluntatis venenum est omnis perfectionis.

Sexto spiritus multae poenitentiae, modicae autem obedientiae ; imperfectus est, et tendit in malum.

Septimo spiritus extraordinarius, qui vulnera praefert in manibus, pedibusque, ac per aëra fertur ecstaticus, qui plures annos dicitur non gustare cibum, qui sanguine sudat, miracula facit ; si magis excipitur laudibus, plausibus, et aestimatione ; si a Magnatibus titulo sanctitatis invisitur ; si honore oblectatur ipse, contemptum aegre fert, publicitatem appetit, neque in favoribus secretum observat : spiritus istiusmodi, etsi coeperit bene, finiet male. Signum ominosum praefert spiritus extraordinarius multum plausu, et laudibus elatus : interestque omnino contemptus, secessio, secretum, silentium, solitudo, et manifestare sese, praeter Patrem spiritualem, nemini.

Octavo spiritus imprudens evadit plerunque importunus, et addictus propriae voluntati : si fidat sibi, perit : si vero Patri spirituali se committat, subsistit.

Nono spiritus multarum revelationum, quae dogmaticae sint, et doctrinales, aut propheticae, quamquam bonus sit, est periculosus. Quod si revelatum est aliquid aberrans a Scriptura, Traditionibus, et ritibus Ecclesiae, vel morali Patrum doctrina, erit spiritus illusus Illuminatorum.

Decimo spiritus, cujus ecstases, raptus, et revelationes, non perficiunt mores, et vitam, nec hominem faciunt sibi diffidentem, et timidum propriae imbecillitatis (maxime si haec impedimento sint rebus obligatoriis, vel strepitus afferant, lites, et discordias) ; spiritus malus, et illusus est.

Undecimo spiritus exoticus, qui affectat nimiam solitudinem in vita Communitatis, vel in vita eremitica

plus aequo cum proximis contrahit familiaritates, jejunat, reliquis sumentibus victum quotidianum, orationi vacat, reliquis vacantibus recreationi ; spiritus est paradoxicus, et artificiosus, plus habens rumoris, quam virtutis.

Duodecimo spiritus, qui abscedit a Christo, nec meditatur, aut cogitat, in ejus vita, et virtutibus ; etiamsi miracula patret, non meretur fidem : bonus quippe Jesus est Via, et qui a Jesu abscedit, a via errat.

Caput Sextum.

Spiritus Illuminatorum, et Illusorum.

Spiritus Illuminatorum est praecipuum periculum, quod iis imminet, qui Orationi dediti sunt, et vitae spirituali : qua de causa Capitulum peculiare de isto spiritu facere placuit, quo melius ipsius malitia cognoscatur.

Illuminati quoddam sunt hominum genus, quod multum est in tractando de oratione mentali, ac de apice contemplationis, de suspensionibus, visionibus, miraculis, raptibus, et illuminationibus : id quod in vita spirituali nobilissimum, et splendidissimum est, vertendo in operimentum vitiorum, et scelerum suorum praegrandium. Isti homines magnam spiritualis vitae partem reducunt ad illusiones phantasticas sui capitis insani. Eorumdem plerique bene coeperunt, et ad tempus virtutum solidarum iter prosequebantur ; at vero cum mox forti orationis vino, et ipsius dulcedine inebriarentur, evanuerunt in cogitationibus suis, et in occultam superbiam correpti sunt, se ipsos aestimantes

jam eximie Sanctos : cumque Deus superbos derelinquat, sine mora eos diabolus arripit; et oratione, solitudine, poenitentia, similibusque actionibus inescatos, primum eorum corrumpit intentionem, ut gustum, et honorem quaerant in omnibus actionibus suis, postea opplet ipsos illusionibus fictis, et revelationibus ; sicque multas iisdem ingerit falsas doctrinas, eorum vitia stabilit, et grandia peccata occulta cooperit. Tales hi exterius hypocritae sunt, interius Haeretici.

Primo quidem docent, orationem aequivalere omni obligationi, neque peccaturum, qui semper orationi vacet, quamquam omnes alias mittat obligationes : nimirum orationem, quae duntaxat est medium, finem actionum nostrarum constituendo.

Secundo dicunt, non peccaturum, qui orationis causâ perfringat leges divinas, et humanas (quod insania est, ipsi lumini naturali repugnans) : atque ita eximiunt contemplativos ab omnibus legibus, obedientiam destruendo, et omnem gubernationem aeconomicam Ecclesiae, atque Reipublicae Christianae.

Tertio docent, cogitationes malas internas, etiam cum consensu in ipsis, non esse peccata mortalia, si executioni non mandentur, aut in opus non exeant : aiuntque, hanc doctrinam per revelationem illos didicisse.

Quarto dicunt, tactus, et oscula impudica, interveniente bona intentione, licita esse ; aut esse actus indifferentes, quibus bene, vel male uti quis poterit, prout fuerit intentio.

Quinto dicunt, simplicem fornicationem inter solutos, accedente mutuo consensu, et sublato scandalo, non esse peccatum mortale : quae est haeresis, a daemone inducta per Illuminatos, ad complanandam carnalibus viam Inferni.

Sexto dicunt Deum dispensasse cum ipsis multis in

rebus, in quibus reliqui homines obligationibus ligantur : et istam dispensationem esse per specialem revelationem factam solis iisdem.

Septimo adoptant suis revelationibus plurimas gratias, Indulgentias, benedictiones, et remissiones, quas Deus ipsis, tanquam inter homines unice privilegiatis, elargitur.

Octavo aliquas fingunt revelationes in ordine ad peccatorum mortalium remissionem, quo eximant se ad obligatione Confessionis sacramentalis : quandoque item sigillum sacramentale frangunt, dicentes, licitum id esse in certis casibus, in aliis autem casibus posse taceri aliqua peccata mortalia. Quae sunt inventa diabolica in odium Confessionis sacramentalis.

Nono isti sentiunt male de rebus piis, quae ad promovendam Fidelium pietatem sunt in usu Ecclesiae (puta Indulgentiae, Icones, Processiones, et aliae sacrae caeremoniae), omnem pietatem ad interiorem sanctitatem restringentes.

Decimo, ut sunt aeque superbi ac inhonesti, doctrinas inveniunt infernales, quibus patrocinentur secretis suis abominationibus ; et vix est articulus dogmaticus, quem non rejiciant, si suae carnalitati, et occultae vitae bestiali, contradicat.

Denique miserabilium istorum Illuminatorum revelationes sunt daemonis illusiones, adeo excecantis eos, ut faciat ipsos credere bonum esse malum, et malum bonum ; et totum hoc sub pallio perfectionis, et orationis. Quaerunt hi discipulos spirituales, qui eos audiant, quaerant, sequantur, et plaudant ipsis : plausum quippe depereunt popularem : sunt in suis actionibus traditi propriae voluntati ; sunt pertinaces, atque judicii duri : aliquos cupiunt esse subjectos ipsis, humiles, obedientes, quin ipsimet exemplo praeeant ; quo melius in subjectione aliena propriam

authoritatem, et aliena humiliatione propriam superbiam exerceant. Verbo hi Haeretici sunt, et aliis plurimis secretis, et publicis peccatis infecti.

Caput Septimum.

Quomodo spiritus plerunque indoli sese accommodet?

Spiritus est ad instar aquae, quae figurae, capacitati, et vacuitati vasis se accommodat. Vas, in quo aqua spiritus recipitur, est indoles, et ingenium naturae : atque ita specialem a Deo sortitur effectum misericordiae, qui bonam suscipit indolem, bonum intellectum, bonum judicium, bonam voluntatem, bonam intentionem, bonam inclinationem, et cui naturaliter bonum placet, et displicet malum. In isto spiritus parvus comparet ut magnus : et cum spiritus sit interior quaedam propensio ad operandum, juxta naturae ingenium solet esse spiritus ; et si pravum est ingenium, innatus spiritus etiam est pravus. Observet Pater spiritualis indolem subditi, et si cognoverit naturae ingenium, cognoscet spiritum ipsius ut plurimum. Si est ingenium fatuum, et tardum, spiritus propendebit in fatuitates et tarditates. Si agreste et rusticum, spiritus feret incivilitates, ineptitudines, immundiciem, et neglectum ; hasce res habens pro punctis spiritus mortificati, licet aliud non sint, quam inurbanitates ortae a rustico, vilique ingenio. Si fuerit ingenium paradoxum, et fictum, erit spiritus imprudens, importunus, et novator. Si callidum, tetricum, et malignum, spiritus adhuc in bono erit insidiosus, simulatus et fictus,

tortuosis, plicatisque intentionibus; erit etiam mundane politicus in humanis respectibus, et versutus in communi commercio. Si fuerit delicatulum, spiritus erit deliciosus. Si superbum, spiritus erit vanus, et ambitiosus. Si cholericum, spiritus erit tumultuosus. Demum spiritus in pueris est puerilis, in paradoxis insanus, vel insaniens, in foeminis judicii debilis, affectatus, et fere absque fundo, in rudibus tardus, in callidis proditor, in superbis vanus, in prudentibus est discretus, in doctis est solers, in Sanctis sanctus. Et quamquam spiritus supernaturalis elevat, perficitque naturam, non illam aufert, atque ut plurimum nec ipsam occultat.

Si Magister spiritum in genere cognoscere optat, observet actiones naturales edendi, loquendi, ridendi, ambulandi, etc., maxime quando natura tantisper animum relaxat in aliqua honesta recreatione; tunc haud difficulter naturale cujusque ingenium assequetur, juxta quod plerunque spiritus erit. Et quamquam ita sit, ut ex parte Magistri media sancta, et humanae solertiae, si cum recta intentione adhibeantur, sint aliqua species clavis, quae reserat cor hominis; at amor est clavis ad seras omnes habilis, et si discipulus Magistrum amet, ne minimam quidem servabit cogitationem, quam in ratione conscientiae non aperiat.

Caput Octavum.

Quod remedium adhiberi qucat spiritibus vitiatis?

Contingit in praesenti, ut in vitro crystallino, quod si labeculas duntaxat forinsecus aspersas habeat, facili remedio, per lotionem et abstersionem, e maculis

mundetur : si vero turpe sit aliqua macula naturali, quam incorporatam sibi extulit ex furno vitrarii, vel si rumpatur vitrum, aut findatur ; tunc vix, aut ne vix quidem locus remedio erit, quia labes naturalis, quantumvis abluatur, et detergatur, aliquantulum ad summum occuli poterit, ex integro non tolletur. Quod si vitrum jam rimas agens, velimus incussis ictibus reficere, potius perditum ibit, et prorsus comminuetur ; nullumque superest remedium, nisi vitrum ad pulveres redactum revocetur in vitrarii furnum, ac de novo formetur.

Hoc exemplum declarat, quam parum remedii supersit quibusdam spiritibus. Si defectus, quibus aliquis spiritus laborat, sunt imbecillitates, ignorantiae, imprudentiae, aut excessus : hae tanquam externae labeculae facile remedium habent cum doctrina Patris spiritualis, illorum illuminantis ignorantias, fraenantis excessus, et imprudentias, etc. Verum si moralis defectus hominis spiritualis oritur ab aliquo defectu naturali, raro remedium obtinent, maxime si semel vitiata est intentio. Exemplo sint aliqui, Spiritus hypocrises affectans, si est simul cum ingenio subdolo, et novatore, parum remedii habet. Spiritus vanitatis, et superbiae, si est simul cum insaniente ingenio, ac modici judicii, parum habet remedii, Spiritus poenitentiarum cum strepitu, si est cum ingenio jactabundo, et amico aurae popularis, aegre medelam fert. Raro vidi delicatulum, et deliciosum poenitentem. Cavillosus nescit sinceritatem in commercio, et vix veritatem novit inter conversandum otiose. Spiritum rusticum, et agrestem, ne disertissimus quidem Magistrorum in Orbe toto civilem reddet. Itaque omnis spiritus, cujus malitia moralis fundatur in pravo naturae ingenio, consimili pravitati morali, haud est dissimilis vitro : abscondi ut summum poterunt maculae praedictae,

deleri non poterunt : ob poenam sese occultant, at minime abscedunt.

Primum ergo Magister rem cum Deo transigat enixe : ac si spiritus, quem manuducit, sit peregrinus, strepitans, acclamatus, celebris in ore vulgi, a Magnatibus visitari solitus titulo sanctitatis ; si vulnera praefert, si per annos a cibo abstinet, et a solo alitur Sanctissimo Sacramento, si fertur per aëra, et rapitur extra se quotidie ; quantumvis sit bonus talis spiritus, commiseratione illum Magister prosequatur. Porro etenim nisi tempestive se contrahat, retrahatque, fugiat, se abducat, ni taceat, et abscondat se, si secretum non celet, si oblectetur visitationibus, plausu, et aestimatione ; haud dubie cadet, et quo majores fuerint plausus, frequentius recidet ; imo istorum lapsus solent esse pudendi, et oppidò scandalosi, ut reficiat humilitas, quod vanitas infecit.

Secundo doceat Magister Discipulos hujuscemodi, non consistere sanctitatem in raptibus, visionibus, lacrymis, suavitatibus, favoribus, sed in multa erga Deum, et proximum charitate, magna humilitate in contemptibus, patientia in laboribus, obedientia erga Praelatos. Favores in istis virtutibus non fundati, aut illusiones sunt, aut exiguae durationis.

Tertio inculcet crebro, qui magis virtuosus est, esse magis sanctum, non qui magis abundat favoribus ; plures personas esse favoribus inopes, et sanctitate locupletes : nullam quae, quantumvis plena favoribus, absque virtutibus sit sancta.

Quarto non excedit daemonis artes, dare lacrymas, suavitates, raptus, visiones ; nequit tamen virtutes dare solidas, cum pura intentione : imo dat interdum appetitum, gustum, et robur pro poenitentia, et abstinentia, si per hoc possit eripere obedientiam ; castitatem dat materialem, si possit ita demere humilitatem, et

charitatem; ultro sinit virtutes exteriores, si hac via debilitare possit vel auferre virtutes interiores Fidei, Spei, et Charitatis. Haec illius est ars, dare minus, ut rapiat majus.

Postremo licet Pater spiritualis discipulum in Christo amet, caveat tamen, ne illum celebret apud alios, nec ipsum in faciem laudet, nec prae se ferat se magnam habere rationem de ipsius favoribus, et revelationibus; imo debet illi persuadere, favores in comparatione virtutum, orichalcum esse vitae spiritualis; cujus vitae fundamentum est gratia, muri sunt solidae virtutes, picturae revelationes, et visiones, tectum virtutes Theologicae. Tali in domo secure habitat Deus.

Caput Nonum.

Quid sit Illusio? et quosnam effectus causet?

Illusio est deceptio in rebus spiritualibus. Cogitare hominem, ac sibi persuadere, aliquam rem spiritualem bonam esse malam, aut aliquam malam esse bonam, illusio est, ac deceptio. Imaginationes capitis nostri habere pro revelationibus divinis, est esse illusum. Cogitare, id sibi persuadendo, cunctas sine distinctione revelationes esse bonas, vel omnes esse malas, etiam est esse illusum. Illusiones in personis deditis orationi, recollectioni, et spiritui, varios habent effectus.

Primus effectus est, reddere viros spirituales nimium propriae voluntatis cupidos, duros judicio, et in opinione propria obstinatos, frequentissime opponentes

se Praelatis, et Patribus spiritualibus ; qua de causa illis Deus manum suam subtrahit, ita ut in multa, et gravia peccata secreta prolabantur.

Secundus est caecitas mentis, judicando malum pro bono : unde saepenumero illusus cadit in peccata gravia.

Tertius est magna aestimatio sui, magna in se ipso fiducia, magna vanitas, et superbia ; hincque illusus cito abit in Haereticum Illuminatum, eo quod illusio magnam secum afferat praesumptionem.

Quartus est, illusos, deceptosque in rebus spiritualibus, esse plerunque paradoxos, et fictos, amicos virtutum strepitantium, et plausibilium, quibus humanas laudes aucupentur.

Ex his illusis aliqui sunt, quantum ad naturae ingenium, simplices, faciles, creduli, exiguae capacitatis et intellectus, qui facile decipiuntur. Istorum illusiones ignorantiae sunt, quorum etiam remedium est facile ; sufficit enim bonum adesse Magistrum spiritualem, qui eos doceat, et illuminet. Sunt alii scioli, superbi, cerebrosi, contensiosi, et naturae ingenio pravi judicii. Atque hi vix remedio subsunt, eo quod ita sint imbuti propria praesumptione, ut persuasum habeant, nullius sibi auxilio, aut luce opus esse ; unde nullum unquam consulunt Patrem spiritualem, cum careant humilitate, qua cedant judicio alterius. His Satanas transfigurat se in Angelum lucis, qui per id, quod magis splendet in virtutibus, eos pedetentim affert in id, quod est in vitiis periculosissimum, usquedum praecipites agat in mala complurima. Isti tales deveniunt in magnas tragaedias raepresentandas in se ipsis : neque in se, nisi post lapsus enormiter erubescendos, revertuntur.

Caput Decimum.

Praxis de aliquibus illusionibus in particulari.

Qui orationi vacant, sunt praecipue obnoxii sustinere illusionem : illi specialius, qui dulcedines degustarunt, devoti, teneri, singillatim si mulieres sint modici intellectus, aut sint juvenes insanientes, et paradoxi, voluntatis propriae naturae ingenio tenaces, et novatores. Omnes istiusmodi subjecti valde sunt magnis illusionibus, et si careant ductu boni Magistri, perditum eunt. Debent hi tales contenti esse cum virtutibus suae obligationis, quin sese ingerant in perfectiones plurimae supererogationis : quia dum iidem solitudini se mancipant, in melancholicos abeunt, et ab oratione facile migrant ad illusionem. Ad haec

Primo, longa, et recollecta oratio, quam multa devotio, lacrymae, favores, et gratiae comitantur, si alia ex parte non accedunt poenitentia, aerumnae, dolor, et mortificatio, non perseverat : vel est privilegium, vel miraculum, vel illusio.

Secundo oratio impediens obligationem, est illusio : et oratio quae nescit relinquere Deum propter Deum, nec subvenire charitati fraternae obligatoriae, et poenitentiam praefert obedientiae, vel amentia est, vel illusio manifesta.

Tertio, oratio vitia non extirpans, neque plantans virtutes, vel nulla est, vel illusio.

Quarto oratio, quantumvis favoribus, visionibus, raptibus, et ecstasibus recreata, sine fundamento virtutum moralium, Humilitatis, Patientiae, Obedientiae, clara est illusio : fallitur enim manifeste, qui putat Deum (nisi forte aliquando per miraculum) spirituales

superstruere favores, sine fundamento solido virtutum moralium, juxta stylum suum.

Quinto persuadere sibi, vitam spiritualem, vel aliquam principem illius partem, sitam esse in paradoxis, nimiis labiorum compressionibus, fastidiis delicatulis, gestibus, compositionibus fictis, et affectatis, illusio est, et deceptio.

Sexto qui censet, propria, et naturalia sensa esse inspirationes divinas, et supernaturales; dicitque, omnes locutiones internas esse locutiones Dei, et semiprophetias; vel sibi persuasum habet de imaginationibus suis, esse totidem visiones, revelationes; ac deliquia naturalia totidem esse raptus supernaturales; illusus est, atque deceptus vitam agit.

Septimo, oratio removens hominem a vocatione sua, vel impediens exercitium Instituti, et professionis propriae; ut si faciat, solitarium intromittere se in rebus proximi, vel hominem vitae activae, aut mixtae, reddi nimis solitarium, cum ostentione singularitatis exoticae, atque plausibilis in aliqua Communitate; illusio est.

Caput Undecimum.

Praxis de variis spiritibus, bonis et malis.

Cum in hac vita spirituali multi reperiantur spiritus exquisiti, et peregrini, alii valde boni, alii valde mali; hoc in Capite id, quod in praxi mihi cum aliquibus horum spirituum accidit, referre statui.

Primo reperi Spiritum quemdam, habitum pro insigniter bono, et sancto; et re ipsa initio talis erat:

annos viginti raptibus, visionibus, et revelationibus abundavit : signa vulnerum in pedibus gestare fatebatur (quod ego nunquam vidi) : simulque, ut fama erat, multis retro annis non edebat : poenitentiis macerabat se grandibus aeque, ac strepentibus. Examinato prope isto spiritu, reperi carere soliditate virtutum moralium : detexi nonnihil vanitatis : promulgabat suas facile delicias spirituales : haud aegre ferebat celebrari : me praesente raptus est aliquoties. Inveni esse spiritum illusum, in idque aperte devenit : propterea quod destitutus esset sufficienti virtutum moralium fundamento, pro tanta machina sustinenda revelationum, et favorum ; qui cum a Deo coepissent, quando humilis erat ille, quando elatus est, in diabolicum descivere.

Aliam tractavi personam, cujus spiritus multum negocium facessivit : rapiebatur in altum, non edebat, obediens erat, ubertim flebat, eratque amantissima secessus : sed cum nihil mali cuiquam inferret, hoc solum observavi, Communitatem ubi degebat, in partes divisam, aliis stantibus pro, aliis contra istum spiritum. Ex quo solo detectum tandem est, fuisse pravum spiritum : agebatur pacto cum daemone, deficit a sua vocatione, atque tragicis successibus facta est misere famosa. Erat persona haec ingenii vani, obtusique intellectus.

E partibus longinquis venit, et vocavit me persona quaedam, putata oppidò spiritualis : et in reddendâ mihi ratione sui spiritus totam narrationem texuit plurimis misericordiis, visionibus, raptibus, longis orandi horis, lacrymis, deliciis, et rebus aliis magnis. Detexi, personam esse judicio suo, et voluntati propriae addictissimam, atque in virtutum moralium rebus mihi acquiescere noluisse : quare vidi, pravo duci spiritu, nec ultra cum illa peragere volui, cecidit-que in grandes tragaedias.

Alius spiritus summe poenitens, insimul erat summe incontinens. Cum etenim Deo solitum sit, occultam superbiam punire cum aperta luxuria; persona ista ob suas grandes poenitentias, de quibus habitum contraxit, superbiens, derelicta est a Dei manu, et in enormes abominationes dilapsa : cumque in assuetis poenitentiis propria voluntate, nec sine gustu duraret, indeque servaret nominis sui existimationem apud alios, qui hac solum ex parte talem personam agnoscebant : conjungere daemon potuit in ipsa summam poenitentiam cum summa incontinentia. Grandis illusio profecto.

Alia persona, suum mihi communicans spiritum, alte de rebus mysticis loquebatur; nec nominabat raptum, visionem, aliosve favores, sed mortificationem, humilitatem, obedientiam, et solidas virtutes. In communicatione tamen illius sensi taedium, et quamdam repugnantiam interiorem, unde acquiescere non poteram tali spiritui : demum deprehendi loquacem esse, ac impostorem.

Haec de malis, et imperfectis Spiritibus sint satis.

Cujusdam alterius per aliquot annos Confessiones excepi; summis favoribus, et summis pariter doloribus erat insignis; semper a Deo deliciis exceptus, semper persequutionibus ab hominibus; abundans copiâ coelestium bonorum, et laborans penuriâ temporalium. Doctrinalibus interdum revelationibus donatus, quoties a Christo D. N., vel a Virgine, vel a suo Angelo aliqua illi doctrinalis veritas revelabatur, remittebat ipsam Patris spiritualis probationi : et contigit aliquando, ut cum de mandato Angeli aliquid doctrinale referret Patri spirituali, contrarium iste decreverit. Atque in hujusmodi controversiis valde placebat Domino, quod magis Confessario, quam Angelo se obedientem exhiberet : quia in obediendo Confessario nullum peri-

culum, et in obediendo revelationi poterat periclitari.

Alium per aliquot annos tractavi, cujus spiritus erat, summos pati dolores, aegritudines, persequutiones, falsa testimonia, contemptus, et opprobria. Multis Viris spiritualibus visus est Spiritus illusus, et illudens. Aliis videbatur Energumenus, et ut tali octies illi Exorcismos adhibuerunt. Deus ipse in oratione magna cum ariditate eumdem probabat : et permittebat, ut doemones quoque vexarent contusionibus, homines contemptibus, Praelati persequutionibus, et Patres spirituales improbando illius Spiritum. Hunc Spiritum rexi ego, et ab illo steti continenter per annos : quia multum in eo notavi silentii, patientiae, humilitatis, puritatisque morum et intentionis. Obiit, et per illius intercessionem multa Deus miracula patravit, quorum aliquorum valde singularium fui ego testis oculatus : tacitus, et latens in vita, loquens propalâm factus est in morte.

Auxilio quoque fui multos annos alteri Spiritui, qui plagas in pedibus gerebat, et singulis sextis Feriis per spatium decem annorum dolores ingentes sustinebat. Frequenter in aëra rapiebatur, et plausûs auram tantisper sentire coepit : sed quam primum in vi aerumnarum, falsorum testimoniorum, injuriarum, et contemptuum, reversus est in se. Quasdam passus est illusiones, velut zizania, cum bonis visionibus permixtas, idque interim, et ex tempore, non sine afflictione animae, ac turbatione : at sub Patris spiritualis vigili directione res haud poterat esse ingenti damno ; sed tempore suo cuncta in debitum redigebantur statum, animâ restitutâ in altam pacem, et quietem.

Annos ultra quinque supra viginti cum alio communicavi Spiritu, qui dono contemplationis infusae praeditus erat, dono actuali miraculorum, luce prophetica, summae poenitentiae dono, et mortificationis, magnos inter raptus, favores, et lumina divina : et cum publico

munere teneretur, cujus causâ serico, et holoserico indutus, cum doctis, et indoctis, cum amicis, et inmicis, cum domesticis, et cognatis agebat; nemo ullus (praeter Patrem spiritualem, cui nota erat ejus anima) plus quam pro bono quodam Christiano illum habuit. O raram humilitatem! sed rariorem prudentiam, et rarissimam simulationem! quae per annos ultra sex supra triginta potuit tales occulere gratias, quin unquam nisi soli Deo, et Patri spirituali, alicui mortalium innotescerent.

Alius fuit Spiritus, qui multis, iisque solidis pollebat virtutibus : verum sine lacrymis, sine devotione sensibili, sine dulcedine, sine raptibus, visionibus, aut contemplationibus. Non parcebat ciliciis, aliquibus per hebdomadam flagellationibus utebatur : multus erat, in sese actuando exercitiis paupertatis, humilitatis, obedientiae, ac patientiae. Hinc suborti sunt plurimi actus interni Fidei, Spei, ac Charitatis, cum resignatione propriae voluntatis, et facillimo ad interiora recursu. Iste talis est spiritus securus, solidus, et sanctus. Beatus ille, qui graditur hac via humili, solida, et secura : quique sine revelationum strepitu, et procul a periculo istarum, tenet, obtinetque solidam, quin et heroicam sanctitatem.

Caput Duodecimum.

Aphorismi pro agnoscendis Spiritibus tectis.

I. — Fundamentum est virtus omnis bonitatis : et ubi deest virtus, nihil perfectionis est, nec sanctitatis.

II. — Qui errare non vult in examinanda vitae perfectione, incipiat examen a debitae obligationis impletione.

III. — Spiritus ignorantis malus esse potest in eo, quod est intellectuale; ac simul intentione bonus, quod est principale.

IV. — Poenitebit brevî festinantem, et spiritum dubium cito qualificantem.

V. — Multitudo revelationum, nec utilium, nec necessarium, in animabus imbecillibus vanitatum mater est plurimarum.

VI. — Reprobatio alicujus revelationis fiat sufficienti urgente ratione : quia levitatis est approbare, vel reprobare res grandes, non praemissa matura consultatione.

VII. — Spiritus modicae virtutis, et plurimae revelationis, merito censetur Illusus dictamine rectae rationis.

VIII. — Spiritus tectus, fidens in propria discretione, parum abest a sua totali perditione.

IX. — Omnis spiritus, discordiarum causa, et strepitu famosus, solet ob secretam superbiam esse periculosus.

X. — Spiritus multis commoditatibus affectus, ut ut virtuosus sit, non poenitens erit, neque perfectus.

XI. — Spiritus propriae voluntati addictus, potius quam obedientiae, tantum habebit de perfectione nonnihil apparentiae.

XII. — Aliqua commoditas quaesita cohaeret cum virtutis aliqua ratione : sed commoditas cum adhaesione, a paupertate abhorret, ac perfectione.

XIII. — Aliquid affectionis inordinatae stat cum virtutis mediocritate : sed nihil ambitionis cum consummata humilitate.

XIV. — Spiritus contradictionis, quantumvis alias rebus polleat bonis, in re tamen ista est spiritus illusionis.

XV. — Tumultus, discordiae, lites, ac dissensiones, non sunt effectus Dei, sed diabolicae inventiones.

XVI. — Spiritus ex malitia, et artificiose velatus, spiritus est hypocritae facile declaratus.

XVII. — Sanctitas plausibilis, popularis, et cum ostentatione, ut ut vera sit, non procul est a perditione.

XVIII. — Laborantium melancholiâ revelationes, interdum sunt diabolicae inventiones.

XIX. — Extraordinarias misericordias sine virtute solida, et vera experiri, non indicat spiritum Dei, cum sit turrim super arenam aedificare adoriri.

XX. — Spiritus divinus habet secum afferre devotionem : e contra spiritus malignus dubia, suspiciones, et perturbationem.

XXI. — Animae apprime sanctae, quae bonas recipiunt revelationes, quandoque sustinent permixtas, ut zizania inter triticum, aliquas illusiones.

XXII. — Plerunque spiritus vanus, imprudens est, ac profanus.

XXIII. — Spiritus prudentiae defectu gravatus, necessario erit ineptiae notatus.

XXIV. — Spiritus impetuosus, impatiens est, et bellicosus.

XXV. — Ex spiritu puerili, solent alii moveri bili.

XXVI. — Spiritus amans in delicias propensionem, incapax est ad poenitentiam, et perfectionem.

XXVII. — Spiritus se accommodat qualitatibus ingenii naturalis, ut ut videatur esse supernaturalis.

Caput Decimum Tertium.

Magisterii spiritualis arcana.

I Interrogatio. — Viri spirituales indocti aptine sunt in Magistros perfectionis ?

Responsio. — Spirituale Magisterium est sapientia quaedam altissima, quae multam postulat scientiam, et experientiam : cumque idiota omni destituatur scientia, ineptus erit Magisterio. Hi tales boni sunt ad loquendum de Deo, et rebus spiritualibus : ad danda tria, quatuorve consilia in materia spiritus : boni sunt ad dirigendum in rebus spiritualibus obviis, ut amici boni : caveant tamen a profunditatibus, et subtilitatibus, ne perdantur.

II Interr. — Cur Sancti austeri, rigidi, et poenitentes aptiores sunt in Praedicatores, quam in Magistros spirituales perfectionis ?

Resp. — Austeri sunt boni, ut praedicent poenitentiam, et timorem Inferni, terrorem incutientes, horroremque peccatorum : quod ad homines e vitiosis transferendos in virtuosos conducit. At vero perfectio, cum virtute praesupposita consistat principaliter in amore Dei, et proximi, non augetur, et crescit timore, sed amore : unde Sanctus austerus ad virtutes ingenerandas aliis aptus erit; at Sanctus humilis, pacificus, mansuetus, et amabilis, est aptior ad inserendam perfectionem.

III Interr. — Quare magni Doctores Scholastici, si non sunt spirituales, vel omni rerum spiritualium experientia careant, non solent esse idonei Magistri spirituales ?

Resp. — Theologia Scholastica, et Mystica duae sunt scientiae, distinctae inter se ut Medicina, et Mathesis; unde sicut bonus Mathematicus potest malus esse Medicus, sic bonus Theologus Scholasticus potes malus esse Theologus Mysticus. Attamen in gravibus dubiis spiritûs, praestat mediocriter spiritualem Theo logum consulere, quam Spiritualem idiotam.

IV Interr. — In quo differunt lux intellectualis, qua pollet Theologus Scholasticus, et lux mystica, qua

gaudet Theologus spiritualis, et contemplativus?

Resp. — Lux scholastica est speculativa, lux mystica practica : Scholastica est perfectio intellectus, Mystica perfectio intellectus et voluntatis. Lux Scholastica est ut lux adamantis, majoris pretii, quam utilitatis : lux Mystica est ut flamma luminosa, dives luce pariter et calore; splendoreque micans, quo simul calefacit, illustrat, et condit sapide omnia.

V Interr. — Cur aliqui Magistrorum spiritualium pluris faciunt orationem mentalem devotam, et lacrymis irriguam, quam aridam, et taediosam?

Resp. — Nemo ullus aestimat orationem mentalem tepidam, distractam, et imperfectam : verum Magistri solertiores majori habent pretio unam orationis mentalis horam siccam, insulsam, et obscuram, impugnatam variis, sed repulsis tentationibus, quam orationem per horas quatuor lacrymis ebriam. 1. quia sic exercetur solidissimum vitae spiritualis, nimirum poenalis charitas. 2. ne quis putet, vitam spiritualem in sola consistere oratione. Veniet enim tempus, quo anima illi nequibit vacare : sed loco illius exsurgent lites, amarores, melancholiae, furiae : tuncque faxit Deus, ut exerceamus humilitatem, patientiam, cum virtutibus aliis manualibus, et domesticis : nec enim semper adest orationi locus, sed tempora succedent plurium tentationum, et lassitudinis, quin particula vacet orationi mentali : atque hoc est, hominem esse spiritualem inservire Deo cum oratione, ac sine illa.

VI Interr. — Sitne perinde, Magistrum esse virtutis, ac esse Magistrum perfectionis?

Resp. — Omnis ille, qui Magister est virtutis, ad perficiendum istam debet contendere : at non omnis Magister virtutis, intra terminos mediocritatis, est semper Magister perfectionis. Ille docet helluonem, ut sit temperatus; iste, ultra temperantiam, docet addere

jejunium, nunc obligatorium, nunc spontaneum. Magister virtutis docet distractum, ut in se reversus, praestet suum orationi locum : Magister perfectionis informat de his, quae in oratione, ac recollectione sunt sublimissima : sicque magis est Magister perfectionis, quam solius virtutis.

VII Interr. — Cur omnes Magistri spirituales plerunque carnalium persecutiones sustinent, et obtrectationes ?

Resp. — Carnales, et spirituales, veluti lupi sunt, et agni ; qui et nascuntur, et vivunt, et moriuntur, inter se adversarii. Deo sic permittente 1. ne ipsi ob ingentia, quibus praediti sunt, dona extolliantur. 2. ut bona consilia, quibus alios instruunt ad eventus hujusmodi, opere iidem confirment. 3. ut magnitudo poenitentiae in innocentia practice colluceat. 4. interdum solet hoc esse in poenam imprudentiae, qua frenare volunt, cum ad ipsos non pertineat, defectus aliorum.

VIII Interr. — Cur inter tot, qui de oratione agunt, et virtute, tam pauci reperiuntur Magistri spirituales ?

Resp. — Quicquid pretiosissimum, est valde rarum : cumque ista lux prophetica Magisterii spiritualis sit pretiosissima, sic etiam valde rara.

XI Interr. — Quid faciendum Magistro perfectionis ?

Resp. — Gratiâ istâ donatus, non dominum se fingat, sed purum agnoscat se illius administratorem. Discipulos non queritet, ipsi quippe illum conquirent. Non societ studiose partialitates, concursus, sectas, caetus, scholas. Non toleret doctrinas novas, nec virtutes ridiculas, nec inventiones paradoxicas. Curam intendat, ut exerceatur substantia virtutis obligatoriae, quae fuerit magis annexa Statui proprio : quo sic facto, parum refert, quod deficiant lacrymae, devotio, teneritudo, deliciae, atque visiones : si deficiat oratio (ut quidem deest aliquoties), ne deficiat virtuosa occupa-

tio : erit enim tempus, in quo discipulo magnum quid erit vivere, quin valeat orationi vacare. Sermo de raptibus, visionibus, et revelationibus, gratiisve supra Statum extraordinariis, frequens non sit : hoc enim affert quandoque praejudicium. Exhortationum argumentum sit humilitas, tolerantia, recollectio, paupertas, et obedientia : procuretque Magister, ut discipuli afficiantur maxime amore, ac aestimatione virtutum hujusmodi ; animum a Mundo, cognatis, peculiaribusque amicitiis extrahentes : plausum aufugiant popularem, propriamque laudem : delectentur recollectione, solitudine, ac vestitu paupere, refectoque. Conentur alere truncum solidum, ac robustum virtutum, Theologalium, et moralium : ita enim arbor vitae spiritualis adolescet ex tali trunco, germinabitque flore perfectionis, ac fruge solidae veraeque sanctitatis.

LIBER DECIMUS

De Revelationibus et Raptibus.

Caput Primum.

Quid sit Visio, et Revelatio : et quomodo dividantur?

Revelatio, et Visio sunt cognitiones indebitae nostrae naturae. Revelatio habet pro sui objecto secreta, quae nobis deteguntur; et ut plurimum per species infusas. Visio est alia cognitio indebita, quae fit cum repraesentatione objectorum. Si, ex. gr., Christus D. N. appareat nobis, quin loquatur quicquam, erit Visio ; si vero speciem aliquam nobis infundat, quae aliquam nobis ostendit veritatem, Revelatio erit.

Hae duae cognitiones dividuntur in abstractivam, et intuitivam. Abstractiva est, quando aliqua cognoscimus alio modo, quam sunt in se : v. g., si Christus, qui nunc est gloriosus, videretur a me in cruce, foret visio abstractiva : vel cum sit jamdudum vir, si mihi repraesentatur ut Infans cum Columna ; modus hic adeo alienus non in objecto est, sed in specie, quae hunc in modum illud repraesentat. Atque hac ratione nobis apparent Angeli cum forma humana, et Animae Purgatorii tanquam cum figura corporea. Cognitio intuitiva

est, quando repraesentatur nobis objectum, ut est in se : ut si viderem Christum Dominum Nostrum gloriosum, qualis re vera est.

Subdividuntur hae cognitiones in intellectuales, et imaginarias, ac sensitivas. Visio, aut Revelatio intellectualis, fit cum specie supernaturali impressa intellectui : atque hoc non potest ex integro effingere Diabolus. Cognitio imaginaria est, quando Deus, vel Angelus, bonus aut malus, imprimit nobis speciem aliquam in phantasia : quae species sit comprincipium cognitionis internae sensitivae. Revelatio sensitiva est, quando unus aliquis ex quinque sensibus audit, videt, olfacit, gustat, vel palpat sensibile quid modo indebito. Quo in revelationum genere ingentem consuevit Diabolus colligere messem.

Omnes hae indebitae cognitiones amplius subdividuntur in Aenigmaticas, vel Symbolicas (quod perinde est), et in Simplices. Revelationes symbolicae sunt, quando Deus aliquibus rebus, habentibus symbolizationem, aut similitudinem aliquam cum aliis, cum modo supra, vel praeter naturam, has alias nobis manifestat. Sic S. Joannes sua in Apocalypsi sub symbolis Libri, Agni, Leonis, septem Sigillorum, viginti quatuor Seniorum, intellexit per revelationem occultissima Ecclesiae Militantis Mysteria. Similiter quaedam Animae vident in oratione Columbas, Palmas, Poma aurea, et Agnos. Atque hocce genus ingentibus obnoxium est illusionibus : eoque magis, si anima dubiis, timoribusque praepediatur, tempus absumens in quaeritando significationem ; ac si narratiunculae forent vetularum ; quod est signum, Doemonis astu illas esse confictas. Ast ubi suam propriam imprimunt intelligentiam cum pace, humilitate, animaeque tranquillitate, vel saltem cum quiete Patri spirituali reservantur ; signum est, ipsas esse divinas.

Simplices revelationes sine alieno cultu fiunt; planae sunt, et faciles : atque per effectus in anima relictos agnoscuntur, bonae sint, an malae.

Caput Secundum.

Monita pro Patre Spirituali circa Revelationes.

Primum supponendum ipsi est, vitam spiritualem consistere in virtutum exercitio, frequentia Sacramentorum, et in obligationum quas quis habet, ac profitetur, impletione. Cum autem Revelatio nihil horum sit, non est pars essentialis, aut etiam integralis, vitae spiritualis : quinimo quod in vita spirituali solidissimum est, reperitur sine revelationibus ; quae sunt accidentia, et non substantia spiritus, atque adeo in illis iste non consistit.

Secundum sedulam habeat curam de revelationibus dogmaticis, et doctrinalibus, quippe quae sunt periculosissimae, ac principium Sectae Illuminatorum. Istae plerunque plus afferunt damni, quam emolumenti animabus.

Tertium advertatur, revelationem esse accidentale medium extrinsecum : cujus vel bonitas, vel malitia magis ex modo, quo ad finem suum ordinatur, quam a causa efficiente ipsius, dependet. Quamobrem etsi quaedam revelatio sit bona in genere causae efficientis, eo quod sit a Deo ; si eam ego ad vanitatem, aut alium finem pravum ordino, talis revelatio erit materialiter in se bona, sed formaliter mihi mala. Unde in bono, vel malo usu, atque in fine, ac intentione consistit pluri mum bonitas, malitiave alicujus revelationis;

quae causa occulta per effectus manifestos innotescet.

Quartum revelatio, licet bona, in personis tamen modicae virtutis est periculosissima : praesto enim per illas extolluntur, et inflantur. In personis vanis et incipientibus, est venenum ipsarum culpâ lethiferum : mox enim harum rerum cupidine illectae, virtutum negligunt exercitium. Etsi personae sint sanctae, si tamen revelationes fiant publicae, sonorae, plausibilesque ; non equidem auderem, vel altissimam sanctitatem declarare securam ; cum sim certo edoctus, in hujusmodi casibus profundissimam adhuc humilitatem haud difficulter in stultam verti vanitatem. Revelatio, si bona est, ipsa secretum feret, et occultari amabit. Quod si persona, his revelationibus honorata, sit humilis, discreta, intelligens, et nihil horum appetens : haec talis ad Patrem spiritualem, vel ad suum Superiorem (et non ad alium) frequentem recursum faciens, revelationes malas vertet in bonas, atque bonis securitatem praestabit. Multum interest qualis persona sit, ut revelationes multum ipsi aut prosint, aut obsint.

Quintum uti certe de viro cordato non praesumitur, liquorem pretiosum in vile vas culinae injecturum : multo minus de Deo praesumere debemus, liquorem pretiosum divinarum revelationum infusurum personis melancholicis, modicae virtutis, ac judicii minoris, et prudentiae : siquidem ipsi rationi naturali repugnat, Dominum ita prudentem, ut Deus est, in vase tam vili velle liquorem adeo pretiosum collocare. Nec putandum de Deo, seligere in Ministros a secretis coeli personas adeo sordidas, ut ne sutor quidem sensatus sua illis secreta committeret. Non propterea volumus Deo taxam praescribere, qui de bonis suis liberis potest quae velit, et quibus velit, amplissime donare. Certe hujusmodi privilegia in incipientibus, ac virtutis ordinariae personis, debent instrumentis legitimis, et ex effectibus authentice constare, quo integra eis fides

adhibeatur. Prudens Magister nec in approbandis, nec in reprobandis hisce rebus sit praeceps, antequam sibi bene constet de ipsarum bonitate, aut malitia : impense autem ad humilitatem et exactam observationem virtutum, quae uniuscujusque statui annexae sint, stimulos adjiciat.

Caput Tertium.

De Revelationibus divinis, et ipsarum effectibus.

Revocari nequit in dubium de divinis revelationibus esse favores, quibus Deus ab exordio Mundi homines sibi majori necessitudine amicos dignatus est honorare. Sic Adamo in Paradiso revelavit Incarnationem : Abrahamo, quod Filius Dei ex ipsius prosapia esset nasciturus, revelavit; Iacobo Scalam ostendit; Moysi Rubum ; Prophetis Majoribus, ac Minoribus Ecclesiae suae praecipua Mysteria, et arcana; SS. Virgini revelata fuit conceptio Filii Dei ex ipsius visceribus; S. Petrus linteum vidit delapsum coelitus, in symbolum conversionis Gentium ; et S. Paulus raptus fuit usque ad tertium coelum. Tandem raros invenies ex insignibus Novi juxta, et Veteris Testamenti sanctis, quos non fuerit dignatus Deus bonis aliquibus Revelationibus : has in vita spirituali Deus aperuit quasi fenestras quasdam deliciosas; unde qui ad perfectionem tendunt, quiete, consolatione, ac lenimine recreantur, quo majori cum conatu itinere perfectionis procedant. Caeterum animadverti revelationes has, ita esse in personis sanctis frequentes, ut annexae veniant magnis doloribus, imbecillitatibus, vigiliis, et tribulationibus corporis, et

animae : Deus etenim absque his ponderum aequilibriis non fidit nostrae naturae labili.

Quando hae revelationes a Deo insitae sunt intellectuales, securae sunt, suaves, et utiles, sociataeque alio passu Cherubicae contemplationis ; vitam in melius promovent, ac mores, virtutes exaltant, et ad eximiam humilitatem, secretumque retinendum, inclinant.

Quando sunt revelationes divinae imaginariae, in causa sunt eximiae compositionis in corpore, suavitatis in anima, humilitatis in moribus, devotionis, et lacrymarum in recollectione : quod nostrarum est partium, secretum inviolabile postulant : Dei etenim est illas, dum expedierit, propalare.

Quando eaedem divinae revelationes sunt sensitivae, ut si oculis intueamur Angelum in corpore humano, aut coelestem Musicam auscultemus, sunt oppido periculosae : quia obnoxiae technis artificialibus, vel dolis naturalibus, aut fraudibus daemonis. Quando attamen a Deo procedunt, quamvis initio aliqua turbatione, metu, terroreve afficiant ; at postmodum illae ipsae animam pacificant ; confortant cor, ac facilem ad Deum recursum animae, compunctionem, humiliationem, aliosque bonos effectus secum afferunt, quibus vitae virtuosae jacitur fundamentum. Ex adverso diabolus incipit cum suavitate, prosequitur cum vanitate, ac finit cum turbatione.

Caput Quartum.

Revelationes pravae, quae sunt daemonis illusiones.

Daemon, qui omnium est hominum hostis juratissimus, contra eos signanter, qui orationi addicti sunt,

et perfectioni, suam enixius exerit malitiam : atque adeo undequaque satagit his afferre molestias, singillatimque melancholicis ; quibus largitur lacrymas, solatium spirituale, devotionem sensibilem, docilitatem in actibus naturalibus voluntatis, vehementiam, et vires ad poenitentiam ; eo in rebus istis fine, ut exercitia majoris obligationis, perfectionis, et excellentiae impediat. Interdum est perquam liberalis daemon in permittendo, quin et in promovendo ex pravo fine cunctas virtutes exteriores abstinentiarum, ciliciorum, flagellationum, et modestiae ; dum modo per talia haec tollat, impediat, et depravet interiores virtutes Fidei, Spei et Charitatis : valde sibi placet, afferre devotionem, si per eam obtinere possit, ut nostrae obligationi deficiamus, et voluntati, judicioque proprio mordicus inhaereamus. Nulli parcit labori, ut hi, qui vitae activae, vel mixtae sunt professione propria, orationem mentalem, quae medium est, sibi ipsis ut finem praefigant. Pensi non habet, aliquem esse poenitentem, si potest illum reddere inobedientem, et in proprio judicio fixum. Denique multas dare revelationes non gravatur, ut probet, si per illas possit humilitatem suffurari, et charitatem.

Daemonis revelationes varios pariunt effectus pravos. 1. enim solent gignere grandem aestimationem propriam, comitibus vanitate, imprudentiaque ; 2. animam opplent tenebris imprudentibus ; queis poenitentiam obedientiae, devotionem obligationi anteponant ; 3. animam relinquunt inquietam, turbatam, et praecipitem ad omne bonum ; 4. alunt judicia dura, ad nutum proprium affixa suo dictamini, cum exigua, vel nulla existimatione obedientiae, atque alienae opinionis ; 5. fugiunt universim ab hominibus doctis, qui possint deducere ipsos per vias rectas ; et eligunt familiarem consuetudinem cum ignorantibus, a quibus queant laudes aucupari ; 6. ingens affectant artificium

in commercio suo, loquendo sublimia de virtutibus ; quo virtutum studiosos lucrari conantur, ut pro causae indigentia causae suae patrocinium in illis inveniant ; 7. misera laborant imbecillitate in resistendo tentationibus superbiae, ac libidinis ; unde labuntur identidem in secretas enormitates abominabiles.

Plerique horum bene coeperunt ; ast ob lucis, humilitatis, et Magistri spiritualis inopiam, exciderunt a prima charitate. Qui hoc in gradu ad insignem malitiam, et superbiam interiorem pertingunt, omni pene remedio destituuntur, nisi post erubescendas, et publicas prolapsiones : quo fit, ut tunc humilitate lucrentur, quod antea vanitate perdiderant. Animabus autem simplicibus solet Deus providere de Magistro spirituali, qui eas gubernet, atque in pristinam reducat sanctitatem.

Caput Quintum.

Revelationes phantasticae, quae sunt Illusiones naturales.

Nemo ullus est, qui non intelligat objecta sensitiva per aliquem ex quinque sensibus externis : siquidem per eos objecta eadem mittunt quasdam imagines intentionales, seu species impressas ; quae inde transeunt ad sensus internos, ex imaginatione ad intellectum agentem, ex hoc ad intellectum possibilem, ubi demum cognitio spiritualis fit, et rationalis.

Placet hoc magis specifice declarare in potentia visiva : in qua fit, ut transmissa specie ab objecto in pupillam oculi, ab hac per nervum opticum, qui est canalis quidam angustissimus, in imaginationem deveniat ; ibi sinus extat rite dispositus humore viscoso melancholiae, atque in hoc sinu species intentionales, velut imagines in aula suspensae, secundum ordinem

suum affixae sunt, et custoditae, donec intellectus agens illis indigeat. Quod si humor iste melancholicus exercetur ob aliquam vehementem imaginationem, vel aliam passionem, aut turbationem ; partes tenuiores ascendunt ad intellectum agentem, et cum ascendant temere, in causa sunt, ut cognitiones eliciantur extravagantes, et stultae. Si autem pars melancholiae magis terrestris, et crassa pondere suo avellitur, descendit per nervum opticum cum aliquibus speciebus materialibus, quae sunt illi affixae : atque ubi ad pupillam oculi, quae sensorium est, pervenerit, causat illico visionem phantasticam ocularem ; cum talibusque interdum circumstantiis, ut videatur visio realis, et physica objecti praesentis, quod nullum tamen est.

Novi Religiosum quemdam melancholicum, cui de hoc haud parum inerat : sic enim animi causâ, januâ, et fenestrâ cellae suae clausis, ac perturbato humore melancholico, velut intuendo contemplabatur comaedias, personas illustres, et rerum varias repraesentasiones ; asseverabatque, quod esset sibi licitum jurare, intueri se illa cum tanta vivacitate, qua si essent praesentia.

Tales ad extremum in stultitia consummantur ; cerebrosi sunt, et paradoxi : ac si spirituales fuerint, abeunt in illusos, et illuminatos : nec modici periclitantur animâ simul, et mente. Istis mentalem oportet orationem prohibere, relicta sola vocali : minimeque sinantur solitarios angulis pervagari : sed comedere, ac somnum procurare jubeantur : alias quamprimum amentes reddentur.

Omnibus his periculis vita spiritualis obnoxia est : unde magni a Deo accepti beneficii loco reponat, quisquis ab eo non trahitur hac revelationum viâ, sed ducitur per iter solidum, veramque virtutum exercitationem.

Caput Sextum.

Quomodo discernantur revelationes bonae, ac pravae.

Omnis causa occulta detegitur in effectu suo manifesto, unde ad cognoscenda, bona ne sit, an prava revelatio, collectio instituenda ex circunstantiis loci, temporis, et personarum. Etenim si personae sint viri sancti, docti, intelligentes, et humiles; personae adeo qualificatae, illusiones convertent in humiliationes, et ex revelationibus divinis gradus facient, queis ascendant ad Creatorem. Si vero sint devolutae quaedam (vulgo in Hispania dictae Beatae) melancholichae, quae in Ecclesiis reperiuntur raptibus agitatae : si Moniales incipientes modici intellectus, quae devotionem praeferunt obligationi : si Eremitae passis crinibus horridi, idiotae, populares, avidi circulorum, plausuum, laudum, et deliciarum : in personis id genus omnis revelatio, etsi divina, et bona, est periculosa, sin minusque suspecta : nec enim stylus Dei est, tam vilibus personis credere arcana sua.

Quando revelationes sunt numero nimiae, vel absque necessitate, atque propalantur ex facili, nec sine vanitate; aut populares sunt, plausu exceptae, ac plures parturiunt discordias, et lites : non sunt divinae. Revelationes quippe divinae tam pravos effectus non inducunt, nec violant charitatem; imo afferunt omnino contrarios effectus, nempe unionem, pacem, devotionem, pietatem, aliosque bonos affectus. Eaedem revelationes divinae praesupponunt solidas virtutes, quas et consolidant humilitate, sanctoque timore, manente in anima post illas ipsas : si autem revelationes sociantur multa voluntate propria, modica obedientia, sui aesti-

matione, deliciarum appetitu sub praetextu necessitatis : hi nequeunt effectus esse divinarum revelationum. Nihilo tamen minus verum est, aliquas personas bonas reperiri, quarum in animabus aliquae sunt revelationes, et illusiones diabolicae, cum divinis revelationibus admixtae, uti cum tritico zizania ; caeterum ex effectibus discernendae veniunt aliae ab aliis.

Finem impono impense Magistris spiritualibus commendans, ut erga revelationes dogmaticas, doctrinales, et propheticas magnam curam habeant : ubi enim revelatur aliquid ad doctrinam, mores, peccata, vitia, et virtutes pertinens ; perspiciendum bene, si quod revelatur, desciscit aliquatenus ab usibus receptis, aut doctrina communi Ecclesiae, ab antiquis traditionibus, sacra Scriptura, Patrumve doctrina. Porro in tali casu hae revelationes dogmaticae aut pravae sunt, aut oppido periculosae, etiam in minimis ; atque universim, cum omnis via revelationum, et ecstasum in via spirituali sit multum periculosa, via revelationum dogmaticarum est periculosissima. Id ipsum dico de revelationibus propheticis, maxime in muliebri sexu : esse nimium periculosas, et parum proficuas. Id in hoc itinere maxime animabus incumbit, nempe magnam servare humilitatem, magnum secretum et magnum timorem sui.

Caput Septimum.

De Raptu, Ecstasi, Deliquio, Suspensione, et modo quo causantur.

Raptus, Ecstasis, deliquium animi, et suspensio sensuum, res sunt quas in personis spiritualibus videmus,

causas interim earum occultas quandoque ignorantes. Pro quarum propterea explicatione opus est supponere, cerebrum esse organum materiale Intellectus spiritualis, et cor esse organum materiale Voluntatis spiritualis. Rursus Imaginatio, sensusque communis residet in capacitate tanquam minister immediatus Intellectus : et Appetitus sensitivus residet in corde, tanquam minister, et famulus immediatus appetitus rationalis, qui est Voluntas. Item in corde, quod est fons Vitae, elaborantur spiritus vitales, qui per arterias suas in totum corpus disperguntur, suntque instrumentum omnis motus vitalis ; atque hi spiritus vitales conscendentes in cerebrum, convertuntur ibi in spiritus animales sensitivos, qui communicantur quinque sensibus ; sine his enim spiritibus nulla fit sensatio. Cum insuper tam cor, quam cerebrum, sint partes adeo praecipuae corporis humani, quacunque violentia percellantur, subito accurrunt spiritus vitales, et animales, ut opem ferant : Natura enim partis magis oppressae, maxime dum interior est, et principalis, subvenire festinat..

Hac ratione, quando aliqua laesio, vel operatio vehemens cerebrum afficit, Raptus illico succedit ; defectus scilicet spirituum animalium in sensibus, qui retrahuntur in cerebri subventionem ; unde nec videt homo, nec audit, neque sentit, quod dicitur rapi.

Similiter in corde, quae alia est pars principalis, quando aliqua vehemens operatio spiritualis, vel aliqua laesio partes afficit finitimas, spiritus vitales deserunt partes externas ; et cum ex illis fiant spiritus animales, hi pariter in cor attrahuntur, manente homine sine sensu interno, et externo : quo pacto fiunt Ecstases, deserentibus scilicet spiritibus vitalibus partes exteriores, ut juncta opera in promptu sint cordi, tunc patienti violentiam.

Suspensio sensuum est quaedam diversio, et remissio, hominis in videndo, audiendo, loquendo, etc., quando interior aliqua spiritualis actio animam occupat cum excessu : videt tamen, audit, loquitur homo tunc, sed difficulter, et vix.

Deliquium oritur aut a timore, aut ab amore, aut a metu, aliave passione vehementi, quae occupat cor, comprimitque : tunc enim sanguis, una cum spiritibus vitalibus, confugit ad cordis auxilium ; quo fit, ut persona colore, sensibusque destituatur. Hoc accidit praecipue in foeminis debilis complexionis ; ac si orationi vacent, sibi facile persuasum habent, extaticam esse suam orationem ; verum in rei veritate tunc anima otiosa est, et nulla est oratio.

Caput Octavum.

De Raptibus falsis, ac veris.

Suppositis, ut proxime, fundamentis philosophicis : dico, materiam istam de Revelationibus, et Ecstasibus esse magnis fraudibus valde subjectam ; maxime in foeminis, quae capite, complexioneque debili laborant, unde quam citissime sensibus deseruntur in qualibet interna operatione vehementi, licet naturali.

Philosophi reperti sunt, qui veritates contemplando naturales, usu sensuum privarentur : quod tamen non erat verus raptus. Foeminae quoque sunt exigui adeo cordis, debilis, et teneri, ut qualicunque grandi passione amoris, timoris, aut suavitatis, quam mox animo deficiant. Ut mea fert opinio, id ipsum est, quod identidem usuvenit multis mulieribus, quae in oratione

alienantur a sensibus ; at in seipsas reversae, nihil recordantur interius, exteriusve transactum per easdem : excitant vero rumorem, admirationem, suspiciones, et interdum contradictiones in aliis id videntibus ; atque in se ipsis alunt aestimationem propriam ex subortis plausibus. Non est hoc verus Raptus, nec Ecstasis, sed quidam defectus naturalis sensuum ; quorum spiritus vitales, et animales deserunt partes corporis exteriores, ut suppetias ferant partibus debilibus, et oppressis ex interiori actione, vel passione vehementi.

Raptus verus, ac supernaturalis plerunque oritur ex principio infuso. Infundente nimirum Deo speciem quamdam luminosam, et calorificam in intellectum, tam suavis, et fortis est operatio potentiae spiritualis in organo materiali cerebri, ut vim eidem inferat : et tunc spiritus animales avolant ad succurrendum cerebro, tanquam parti debili, et oppressae ; quo fit, ut homo exterius nec videat, nec audiat, nec sentiat : manet tamen interius anima penes partem superiorem in oratione ; cujus principium est illa species infusa, et independens a sensibus ; qui proinde in his eventibus nec juvant, nec impediunt. Homine ab hujusmodi raptu expedito, quambene memoratur eorum, quae tunc temporis in illa tam sublimi, quam suavi contemplatione vidit, et expertus est.

Ecstasis est excessus amoris in corde, cujus suavitas spiritualis redundat ex potentia in organum materiale cordis : quod quidem oppressum, et occupatum ista nova passione, ceu fons vitae convocat in auxilium suum omnes spiritus vitales, qui erant dispersi per corpus ; indeque manet corpus privatum motu vitali, recipitque vel donum levitatis, qui manat ab amore divino igneo ; vel donum agilitatis, rapiens in aëra, fluensque ab amore divino flammeo ; tuncque anima

permanet in altissima contemplatione, quin illi aut prosint sensus, aut obsint. Haec est genuina Ecstasis, non ita deliquia foeminis familiaria.

Caput Nonum.

De effectibus, quos Raptus divini causant.

Divina dona nunquam non in melius cedunt nostris animabus : et abeunte intervallo Ecstasum, remanere solet oratio quaedam interior pacifica, secreta, et abundans actibus Fidei, Spei, et Charitatis. Raptus autem veri causant effectus sequentes in anima :

I. — ad meliora valde promovent vitam, et consolidant magis virtutes, maxime charitatem fraternam, et humilitatem, quae hac in oratione perficitur eximie.

II. — ab hac humilitate oritur pudore suffundi, dum haec dona in publico contingunt : solentque animae quaedam humiles summopere affligi, quando praecavere ista nequeunt, et ab oculis hominum se subducere.

III. — petere a Deo solent, ut sibi tollat hanc gratiam gratis datam; eo quod magis habeat strepitûs, quam profectûs.

IV. — cum res sit a doemone imitabilis, quamquam hinc testimonium bonae conscientiae securitatem illis animabus praestet, inde timidae incedunt, humiles, et cautae, non habere talia enixe desiderantes.

V. — quando Raptus migrat in Ecstasim ex divini amoris excessu, communicare solet corporibus, aut levitatem, aut agilitatem, et quandoque in vultu splendorem ; qui omnes sunt effectus illius occultae causae.

At vero quando hi Raptus, et Ecstases ab aliqua naturali causa occulta, vel a daemone procedunt ; tunc

in personis orationi dedictis, praecipue si foeminae sint, quae aliquid tale habere perdite amant, gaudent ea in publico habere; intercipitur illis oratio mentalis, cum interim otietur anima defectu phantasmatum; solentque personae id genus negotiari plurimum aestimationis, et plausus; delectantur honore, timent contemptum; sunt valde circunspectae in actionibus, et virtutibus externis plausibilibus; modestia illarum solet esse affectata, et compositio cauta nimium actibus reflexis; quod si humilientur, id faciunt, ut aucupentur plausum, aestimationes et laudes. Proh miserae mulieres, quot, et quantis periculis inopia capacitatis, modicum judicium, et impotens gloriae cupiditas, illas exponit? Hac de causa illae frequentius seducuntur in vita spirituali.

Caput Decimum.

Arcana circa ecstases, et raptus.

Interrogatio. — Expeditne in corporibus ecstaticis uti aliquibus probationibus violentis? Veluti ligamine pedes, manusve torquere, pungere aciculis usque ad eliciendum sanguinem, et candelae flammulâ oculorum perstringere pupillas?

Responsum. — Haec raro tentanda sunt; miseri enim patientes nimium vexati manent. Si suspicio sit, vel esse fictiones, vel mera deliquia personarum spiritualium; satius erit, illa contemnere, nulla talium rerum habita ratione.

Interr. — Potestne fieri, ut persona ecstatica in ecstasi moriatur?

Resp. — In casu non repugnat physice, quod ex aliqua meatuum obstructione ingruat symptoma, quod vitam adimat; moraliter autem loquendo, impossibile hoc censeo : nec enim dona Dei sunt congrua media, ut per ea fines adeo infelices inducantur.

Interr. — Quare ligamine torquentur, qui ecstasi corripiuntur ?

Resp. — Ut in se redeant; quippe natura sic provida est, ut semper spiritus vitales mandet parti debiliori, ut illi subveniat : cumque pars ligata adeo vexetur, spiritus vitales, qui cor circundant, citati prosiliunt in auxilium partis exterioris oppressae, sicque in se ipsos revertuntur extatici ; quamquam non raro id non prodest, eo quod Raptus sit valde supernaturalis.

Interr. — An Christus D., vel SS. Virgo, Raptus, aut Ecstases sint passi ?

Resp. — Nihil horum legitur in Evangelio, neque hujusmodi rebus opus habebant.

Interr. — An Ecstases, et Raptus conferant, ut vita sit melior ?

Resp. — Si oriantur a principiis infusis, ubi parte inferiore privata sensibus, pars superior intellectus, et voluntatis orationi vacat, unita Deo ; istiusmodi Raptus valde conferunt ad vitam in melius promovendam. Quando autem Raptus in sola sistunt parte inferiore, destituendo sensibus, et etiam Oratione (ut rarum non est), computandi veniunt in temporis jacturam.

Interr. — An dari valeant deliquia ecstatica ? Ecstases, inquam, deliquiis similes, quae a principio interiori suboriantur ?

Resp. — Tales sunt plerunque ecstases in personis deditis orationi, maxime in foeminis infirmi capitis, modici cordis, ac debilis complexionis. Cujus rei est ratio, quod cum quavis interna operatione vehementi, et suavi habita, subito privantur sensibus externis,

simulque Oratione ; quae, utpote pendens a principio acquisito per sensus externos, his deficientibus, etiam illa deficit. Requiratur a talibus, in se reversis, remaneatne in ipsis aliqua reminiscentia in memoria intellectiva spirituali rerum, quae egerint, aut passi sint; et fatebuntur, nihil recordari : quod secus evenit his, quorum ecstases ab infuso pendent principio; recordantur quippe quam bene favorum, quibus, dum essent correpti, a Deo sunt donati.

Interr. — Quid faciendum cum iis, qui rapiuntur identidem? In se reversi aliquantulum, quam primum destituuntur sensibus ; paucula edicunt, et iterum rapiuntur ; et quin possint edere, bibere, nec dormire per plures continenter dies subsistunt, Deo vitam illorum miraculose conservante.

Resp. — Duas hujuscemodi personas tractavi propius. Alter meus erat Pater spiritualis ; qui triginta dies cum totidem noctibus hoc pacto aliquando duxit. Alter filius meus spiritualis; qui per dies quindecim cum noctibus perstitit similiter : uterque intervallo brevi alternabat, et rapi, et cessare a raptu tantisper. Eorum unum tot medicamentis, et probationibus vexarunt, ut manserit laesus toto vitae tractu. Alii juscula per os ingesserunt, quo vitam illius conservarent. Consultissimum hoc in casu est, tales personas in aliquo cubiculo collocare, illis assistere, atque ut ut liceat delicate tractare, jusculisque reficere, dum evigilant : at neutiquam admittere Medicos, ac medicinas, nec rumores plausibiles, nec concursus, nec strepitus. Deus, quem ad illud extremum redegit, ab ipso redimet : cum equidem ignorem, ullum hoc mortis genere obiisse : quod si hac via e vita excederet, felix ille ; siquidem extinctus foret vi amoris divini, cujus exessus talium ffectuum causa est.

Interr. — Quomodo internoscitur raptus, qui a diabolo est?

Resp. — Duabus in rebus, in qualitate personae, atque in effectibus, quos causat. Nam primum quidem personae hujusmodi solent esse infimi ordinis, vel incipientes, aut mulieres vanae, faciles decipi, vel notorie fictae : his enim solet uti diabolus ad tales fraudulentias. Dein effectus, quos inducunt, rumores sunt, plausibiles commotiones, contentiones, aliaeque inquietudines. Personam, quae rapitur, relinquunt vanam, et contentam, eo quod videat plausu acclamari ; et facile orationem deserit, obligationemque, ut aliquo tali favore potiatur. Denique virtutes omnes interiores hoc raptuum genus debilitat ; exteriores autem plausibiles roborat, ut sub virtutis pallio delitescere queat. Istarum personarum virtus in fraudes desinit, et mendacia : qui tales sunt, merito quidem ligamine torqueantur.

Interr. — Quidnam fiet cum personis, quae frequenter afficiuntur deliquiis extaticis ; quaeque sensuum usu identidem privantur in vi Orationis mentalis interna ?

Resp. — Personis id genus cibus, et somnus solito ipsis plenior praescribatur, plusque orationis vocalis, quam mentalis : attamen esse solent tales personae addictissimae propriae voluntati ; ac raro adducuntur, ut obediant, et renuntient suo modo vivendi.

Interr. — Undenam fit, ut aliquae personae ecstaticae plumâ leviores in ecstasi reddantur ; atque adeo agiles, ut ferantur in aëra ; imo quandoque in vultu, vel toto etiam corpore, luce resplendeant ?

Resp. — Levitas in corpore provenit ab amore igneo, qui accendit animam ; qui amor, quando ex potentiae effluentia cordi se communicat, eadem continuò afficit corpus qualitate. Agilitas ab alio provenit amore, qui dicitur flammeus ; sicut enim flamma est agilis, ita et flamma haec amoris divini, dum corpus pertingit,

imprimit ipsi aliquid sui per illam qualitatem, qua in aëra sublimatur. Lux, et splendor est specierum intentionalium accensio; sicut enim pulvis pyrius, qui virtualiter ignis est, minimae scintillae vi migrat in ignem, similiter in corpore species intentionales sunt virtualis lux, atque per Angelum bonum, aut malum accendi possunt, et lucem afferre corpori ex integro, vel ex parte. Quando ista lux ab Angelo bono est, devotione afficit; quando vero a daemone, plus admirationis infert, quam devotionis.

Interr. — Estne via haec Revelationum, et Raptuum divinorum via bona, et utilis in vita spirituali?

Resp. — Bona est via, sed affatim periculosa: similis est funambulorum gressui per funes; qui etsi non labantur, neque fracturam pedis, manusve sustineant, expositi vero sunt casui, et perditioni. Attamen qui sub humilitate per viam incedit regiam obedientiae, patientiaeque, virtutes morales exercendo, evadit solide sanctus, neque timet similes ruinas. Est ergo prior istiusmodi viarum bona, sed periculosa: posterior secura, et fructuosa.

LIBER UNDECIMUS

De regimine Religioso

Caput Primum.

Quid est regimen Religiosum : ac de partibus intrinsecis ejus, extrinsecisque.

Regimen Religiosum est practica quaedam prudentia, quae bona cum proportione dirigit media in ordine ad Communitatem aliquam Religiosam cum pace conservandam, juxta Institutum, quod ipsa profitetur. Hujusmodi prudentia practica partim fundatur in gratia Dei, quatenus donum est, nobis desuper concessum ; partimque nititur in experientia variorum eventuum, per quos docemur, quid similibus in casibus nobis faciendum sit ; ex parte item in bona quadam indole, ad rerum gravium praxim idonea, maxime si quis mansuetus sit, quietus, et judicio pollens maturo, et pacato : si rursus mente gaudeat magis profunda, et comprehensiva, quam vivaci, acuta, et subtili ; simul cum discursu magis practico, quam speculativo ; patiens ille in adversis, in prosperis parcus.

Quod si persona sit praesentiae gravis, et corporis habitu spectabilis, literis, et eruditione insignis, natalibus, et institutione nobilis, comis absque nimietate, sine prodigalitate liberalis, non praeceps in ipsa

magnanimitate ad aggrediendum ardua, sed in exequendo persistens : quamquam hae non sint intrinsecae qualitates regiminis, attamen sine illis aegre Religiosi adhuc regiminis munus impletur.

Partes intrinsecae regiminis Religiosi sunt patientia, et prudentia. Patientia quidem ad aequanimiter ferendas moestitudines proprias, et insipientias alienas ; tolerandasque infinitas querelas, murmurationes, lites, amaritudines, tam circa temporalia, quam circa spiritualia : siquidem haec omnia Praelati Religiosi muneri annexa sunt ; cum debeat ipse aliorum aspera ingenia perferre, ac tacitus praeterire, quorum est conscius, et medicare non potest, plurimos defectus.

Cogitationes vero, quae acerbius Superiorem excruciant, eae sunt : 1. an Religio ex culpa ipsius deficiat, et relaxatur. 2. quomodo componere, ac mederi possit mille lites, amaritudines, et defectus, qui in magna Communitate frequenter eveniunt ; quo item modo gravibus non semel peccatis, nunc secretis, nunc publicis, remedium adhibebit ; praesertim si doctorum hominum sint, quorum literae sunt malae vitae subsidium. 3. quomodo sese opponet discolis, protervis, et immedicabilibus ; maxime si homines sint docti, et graves, intellectûs boni, pravi tamen judicii, pejorisque voluntatis. 4. quomodo scire debeat lites, defectus, aversiones, et exacerbationes suorum subditorum : redditur nempe suum pectus velut sterquilinium, ubi colligitur, et asservatur faex defectuum illorum : utque omnes istiusmodi aerumnas ferat, et pacato vultu eos excipiat, qui eum odio prosequuntur, magna opus habet capacitate, consistente in eo, quod multa sciat, pauca loquatur : opus etiam habet fortitudine ad naturales sensus comprimendos ; quandoquidem plus est vincere se ipsum, et proprios superare sensus, quam magna perpetrare.

Jam vero prudentia, quae item requiritur, est bona quaedam dispositio mediorum practicorum, quae magis conducunt ad assequendum finem intentum, subveniendo malis praesentibus, praecavendo futura, tacendo peccata, simulando quae sunt medicabilia, sciendo non pauca, plura praetereundo silentio, verbo non laedendo, quando re non potest aptari remedium, nec exprobrando praeterita. His, et similibus casibus in apertum prodit prudentia, quam petimus.

Caput Secundum.

Ut bonus Superior debeat esse similis Mari?

Mare Oceanum tam capax est, ut omnia flumina deglutiat, sive magna sint, sive parva, sive calida, sive frigida, sive clara, sive limosa; quin propterea exterius colore, odore, nec sapore mutetur. Eodem modo gerere se debet bonus Praelatus Religiosus: qui tam deberet esse capax ut etsi bene conscius eorum omnium, quae in sua Communitate Religiosa fiunt, mali, et boni, virtutum, et vitiorum, peccatorum, et defectuum, non ideo extrinsecus demonstret in vultu, aut verbo quicquam eorum, quae intrinsecus in pectore habet: quin potius ad suam praesentiam, et communicationem admittere debet, dum oportet, bonos, et malos, amicos, et inimicos, spirituales, et carnales: qui omnes, quantumvis inter se contrarii sint, in Superioris tamen vultu, et verbis debent perinde esse, quin ille cum spiritualibus contra distractos partialem se reddat. Debet nimirum Superior esse velut unio, quae unit inter se corpus carnale cum anima spirituali, reddendo

ex tam contrariis rebus unum eumdemque hominem pacificum, et indivisum : pari modo bonus Superior unire inter se debet carnales et spirituales, doctos et idiotas, juvenes et senes; reddendo ex illis unam Communitatem pacificam, corpusque unum mysticum, quod necessario caput habere debet perfectorum, et pedes imperfectorum : etenim si omnes essent perfecti, sancti, obedientes, humiles, docilesque, nulla superesset in bono regimine difficultas.

Persuasum sibi habeat Superior, futuros non paucos, qui murmurent de ipso : et si tantum pectoris non habet, ut ferre possit murmurationes, neque pectus habeat, oportet, ut amplectatur Praelaturam. Quin etiam sibi persuadeat, omnes inquisituros anathomice in ejus vitam, et mores; nec defuturos, qui adhuc in actionibus ipsius simplicioribus mysteria vaticinentur, ut eas carpant : observabunt quippe subditi, si amicitias colat peculiares, maxime cum junioribus : si vescitur deliciose, si vestitur pretiose : si amicum habet specialem, cum quo, etsi putetur minus idoneus, communicet arcana regiminis : si est in corripiendo iracundus : si morosus in attendendis respectibus humanis : si est personarum acceptator : si factionum aliquid foveat, et notetur de aliquo ambitu : si curiosa, et superflua tenet in cubiculo suo : si a communi modo vivendi aliorum recedit : si utitur peculiari cibo, potu, aut vestitu : si non interest functionibus publicis : si recreationes licitas, et in Religione solitas, tollit : si bono, vel non tali pollet intellectu, judicio, prudentia, doctrina, et concionandi facultate. Haec, et similia minutatim examinabuntur a subditis; adhuc aliquando neque intentioni parcentibus ut dolosae, dum abest in executione defectus.

Caput Tertium.

Jussio, et executio fiant, oportet, per distinctas personas.

Nulla res est naturae nostrae, vanitatis vitio attactae, magis conformis quam jubere; nec ulla, quae magis nostrae repugnet vanitati, quam exequi, si difficultas intercedat. Imperium, et dominatio est ut flamma, quae a longe lucet, prope autem comburit. Luci correspondet jussio, combustioni executio rei difficilis; ideo in omnibus Rebuspublicis rite ordinatis, unus est qui jubet, et alius executor. Qui jubet, prudentior esse debet, quam fortior : qui exequitur, ut plurimum fortior debet esse, quam prudentior ; et qui peccet magis magnanimitate, quam ignavia; plus etenim timor valet, quam amor, in arduarum rerum exequutione. Rigor illius, qui jubet, alterius manu sentiatur, favores dispenset manu propria. Cum malevolis, et fraudulentis a longe agat, et per alios : etenim beneficia eos non emolliunt, poenisque irritantur. Tandem si jubens sit etiam mandatorum suorum in rebus arduis exequutor; plerunque non aliud quam lites, afflictiones, et dissidia, odium contra se, atque detractiones obtinebit. Prudentiores solent timidiores esse, ac pusillanimi; indeque naturaliter timent et respuunt, quod norunt involvi plurima difficultate.

Primum quod debet facere Praelatus, re prius Domino enixe commendata, et communicata cum fideli aliquo, et prudenti consiliario, si censeat eam debere mandari exequutioni, est ut hoc remittat fideli alicui exequutori : quo medio etsi aliqua jurgiola, aversiones,

excessus, et imprudentiae interveniant, minus est inconveniens tolerare ista, quam negotii gravis executionem, ut jussa est, praetermittere.

Secundum, in exequutione, sic etiam facta, dum ardua sunt negotia, et ingenio subditi repugnantia, etsi exsurgant querelae, amaritudines, admurmurationes, et taedia; nisi haec necessaria tolerentur prudenti dissimulatione, necesse fiet, ut in substantia principali evadat manca executio.

Tertium, etsi Praelatus ita faciat, ut favores manu propria dispenset, rigores manu aliena exigat, noverit futurum ut pro ratione timoris incussi, habeatur odio, pro ratione amoris demonstrati reverentiam, et fidelem obedientiam obtineat. Etenim qui vivit inter eos, qui moribus sunt defectuosis, licet bene vivat, calumnias patietur, odioque habebitur, ipsaque bona illius vivendi ratio, ac si partes agat accusatoris, quae tacite aliorum defectuosam vitam criminatur, ansam dabit, ut male morigeris odio sit, et materia detractionis.

Quartum, sibi persuadeat, debere tolerare difficiles aliorum mores, adversos suo ipsius ingenio, dictamini, et naturae propriae conditioni; debereque identidem in mutuum cum illis conspectum venire, cum iisdem leniter loqui, et quibus indigeant subvenire; atque hoc etsi bene noverit, se illis iisdem invisum esse, objectumque detrahendi, non haberi gratum quicquid fiet, sed potius in virus converti, tribuendo intentioni pravae adhuc opus in se non reprehensibile. Gravis certe crux ista est, quamquam non ita frequenter, sed aliquoties contingat: attamen prudens Gubernator necesse habet aliquo bono executore, sine quo male oppido gubernabit.

Caput Quartum.

De difficultate magna, quae reperitur in bona executione.

Bona hujus vitae adeo sunt mixta, et conjuncta malis, et poenalitatibus, naturalibus, et moralibus, ut vix magnum aliquod bonum sit reperire, cui magnum etiam quoddam malum admixtum non sit ; neque rem ullam reperimus adeo nobis proficuam, et utilem, quae incommodum aliquod non contineat. Propter quod nimis sibi sapientes, et supra modum prudentes, cum omnibus in bonis malum aliquod offendant, et in rebus omnibus necessariis convenientibus aliquod inconveniens, in ancipiti sunt, praesertim ad magnas regendas Domus, sine aliorum auxilio.

Horum aliqui sublimiter in capite aliorum verba profundunt de regimine, atque aliorum imprudentias demirantur, sibi persuadentes, non tam male regimen acturos, si ad regendum vocarentur. Verum hi, cum ad exsequendum prope devenerint, quod a longe speculabantur, in praxi conspiciuntur, eos fuisse quosdam phantasticos speculativos ; quandoquidem nunquam assequuti fuerant practice maximum discrimen, quo inter se distant jubere, ac in opus deducere illa, quae multas involvunt difficultates.

Primo : est satis difficilis executio, quae aliquando pendet ab aliquibus futuris contingentibus, periculosis, ac repentinis, quae humano discursu praevideri non possunt : in quibus aliquando melius operatur passio aliqua, et fortunata, et repentina, quam exacte prudens, discretaque ratio.

Secundo : est difficilis praecautio aliquorum eventuum, qui sepiuntur tam vehementibus hinc inde

passionibus, ut ratio excaecata nequeat bene opus dirigere.

Tertio : est executio difficilis, quia necessario non semel toleranda sunt mala minora pro vitandis majoribus ; frequenter enim non est in arduis negotiis conveniens executio, quin alia occurrant inconvenientia in applicatione mediorum.

Quarto : quia curatio, et medicina identidem majora inconvenientia secum affert, quam quae medicanda est aegritudo ; indeque pro minori habetur inconvenienti, relinquere malum, ut insanabile, quam adhibere noxia medicamenta.

Quinto : quia sunt personae adeo perversae, ab omnique ratione alienae, ut in illis medicina vertatur in virus; unde tanquam non medicabilis relinquitur talium salus.

Sexto : cum in pluribus remedium aliquando pendeat ab aliena informatione, atque in propria, vel amici curatione plerunque tegatur veritas ; impossibile est curare, quod ignoratur.

Septimo : siquidem agendum cum hominibus contrariarum inter se complexionum, et ingeniorum ; quod aliis medicina est, aliis erit toxicum : rigor, si aliquibus prodest, aliis cedit in pejus : amor aliis theriaca, venenum est aliis. Et quoniam res hujusmodi magis ab experientia pendent, quam a scientia, sunt aliqui homines acuti, subtiles, habiles, et valde literati, qui callent omnia boni regiminis, generica principia, et in articulo executionis haerent. Qua de causa pars ista regiminis aliis arridet, aliis displicet, aliis aeque impossibilis est, ac mirabilis : et nisi in senibus, mansuetis, maturis, tacitis, et expertis, vix reperitur. Nihilominus aliquos in Religione vidi servos Dei, supplentes oratione, ac sanctitate, quod illis ad gubernandum naturâ deerat, et in rebus gravibus fortunatos habuisse

successus : at ordine naturae bona indoles, magnum judicium, et longa experientia, sunt istius ejusdem gratiae fundamentum.

Caput Quintum.

Media idonea pro bona executione.

Sunt quidam in negotiis minimis, et facilibus maximi Gubernatores ; qui tamen solent minimi esse Gubernatores in negotiis maximis, praecipue si distribuere debeant Officia, Beneficia, et Dignitates, aliaque munera honorifica, et utilia. Res ista non solet tam commoda esse, quam difficilis, et odiosa : siquidem valde paucos reddendo sua contentos sorte, necessariò majori numero alios relinquunt suboffensos : et cum electio, ac dispositio consulta mediorum dependeat a multis temporibus, locis, et personis, negotiis, et circunstantiis, nunc diversis, nunc verò contrariis ; opus est maturo judicio, miti, et pacifico ad judicandum, quando debeat usus fieri patientiae ad tolerandum, fortitudinis ad aggrediendum, silentii ad tacendum, sagacitatis ad praecavendum, authoritatis ad urgendum. A bonis amore melius habetur, tolerantiâ, a malis rigore, a fraudulentis et duplicibus utendo astutiis, a superbis animositatę. Non jubeat Gubernator res arduas repente, ne forte in executione poeniteat : neque faciat ut timidi, et pusillanimi, qui suam in rebus obligatoriis dissimulationem vocant discretionem, cum sit timiditas ; siquidem pacem et quietem propriam praeponunt bono communi, cui deberent consulere, non parcendo parvo suo labori.

Bonus Praelatus Religiosus, si velit assequi quod molitur : 1. ad Deum recurrat pro subsidio, et lumine. 2. ut aliis futurus sit imitationi, reddat se absolutum exemplar, ab obligationibus Communitatis in nullo deficiendo ; si etenim jubeat, quod non facit, malent subditi ejus exempla aemulari, quam verbis obedire. 3. studeat pacem, et benevolentiam Subditorum inter ipsos et cum eodem Superiore suo conciliare : si enim non amatur, illum parvi pendent, ipsiusque mandata inviti facient : unde amoris defectu suscitantur lites, discordiae, disjunctio animorum ; quo posito haberi sanctitas nequit, aut perfectio. 4. quamvis admitti non debent nimiae deliciae corporis, sed moderate sumptae, idque cum necessitate, aut infirmitate, sanctisque diebus Paschalibus, aut aliis ex solemnioribus ; tamen abundantia necessariorum in cibo, et veste, absque superfluitate, vel curiositate, curari debet : aliter enim est obligare subditum, praetextu subveniendi suae necessitati, ad quaeritandum usque ad deliciosa, et superflua ; qua de causa ingens damnum infertur Communitati, siquidem inopia in re temporali cogit ad sordida quaeque in re adhuc spirituali. 5. recuset valde licentias concedere generales, quae sunt venenum Religionis cujusvis reformatae, aluntque magnam independentiam in subditis erga Superiores ; et cum plerunque non habeant homines rationem illius, a quo nihil sunt accepturi, sublata necessitate Superioris ad ea multa, quae Subdito licent per licentias generales, consequenter ruit erga illum aestimatio. Impossibile est, hoc munus regendi bene facere sine magnis Dei auspiciis, sine magna experientia, et lumine magno.

Caput Sextum.

De discrimine, quod intercedit. inter Praelatum prudentem, et imprudentem.

Praelatus imprudens, cum sit homo modici intellectus, et omnium facile inscius, putat se nihil non capere, super quo principio struit reliquas alias inscitias : se dissertum existimat, prudentem, cum primis intelligentem, perspicacem, ac propria dictamina normam praestare actionibus aliorum. Hinc magnum Reformatorem se praestat, et quasi publicum Promotorem Fiscalem : sicque constituitur criminator, litigiosus, plumbeusque toti Communitati ; solicitus de honore debito suae personae, commovetur vel ad umbram defectus in debitis sibi obsequiis : pungitur alte murmurationibus de ipso, nec dissimulare novit vel leviusculos in re ista defectus : ad mentem propriam facile loquitur, et cum scateat inscitiis mens, his abundat in verbis. In hoc sita est hominis imprudentis natura ; et quidem nulla gravior crux emunctae naris subdito, quam vitam agere sub regimine cujusdam imprudentis Praelati, qui solet in omnibus suis actionibus esse molestissimus.

At vero prudens Praelatus quatuor his conditionibus insignitur : 1. multa cum sciat, loquitur pauca. 2. penetrat bene, meliusque dissimulat. 3. tolerat oppido conditiones aliorum vitiosas. 4. beneficiis pugnat contra maleficia ; et licet a multis consilium capiat, credit se paucis. Reservat scite secreta. In re licita praefert proprio gustum alterius. Imprudens totus est voluntas, prudens totus intellectus. Imprudens intelligit parum, et appetit multum : prudens intelligit multum,

et appetit parum. Officia magna in viris prudentibus eosdem faciunt magnos, aut inveniunt : e contra imprudentes suum in illis demonstrant miserum talentum. Prudens patientiâ pollet aeque ac prudentiâ ; illaque ipsum praestat incolumem a magnis litibus, contradictionibus, oppositionibus, et persecutionibus, quae reddunt illum majorem : cooperit ridenti vultu, quod ipsum torquet interius. Imprudens nescit unquam servare secretum, et nunquam fruitur diutina pace. Prudens potest tolerare, quod non est potens mederi, usque ad datam occasionem congruentem : ex propriis seductionibus elicit documenta : ex erroribus de praesenti colligit scientiam futurorum. Imprudens frequenter est propriae voluntatis servus, et tantum bene capit quod cupit : terribilibus ligatur passionibus, quae modicum ejus lumen rationis obcaecant : quo fit suis subditis, odibilis, et ab exteris derisus ob suas, quibus scatet, imprudentias.

Caput Septimum.

Ut Christus D. N. fuerit prototypus omnis boni Gubernatoris.

Jesus Christus per triennium, quo Apostolici Collegii Rectorem se gessit, gubernavit lucrando multa cum gratia suorum corda Subditorum : fuit ille mitis in sua consuetudine familiari, blandus in verbis, largus in operibus, providus in egestatibus, deliciosus in infirmitatibus, compatiens in aerumnis, pius in poenis infligendis : in jurgiolis, et aemulationibus, quibus inter se Discipuli contendebant, increpabat eos bene-

vole : tacitus occultos defectus praeteribat : publice de noxiis publicis loquebatur : corripiebat scandala severe : rigores sui misturam amoris afferebant ; erantque illi tam bene conditi, et tempestivi, ut defectui remedium adhiberet, quin affligeret personam nimis. Non erat criminator ; utpote sciens bene, carnificis esse supplicia exequi, Patris vero amantis remedio praevenire : quod si hoc remedium poterat lenibus verbis obtineri, nunquam duris operibus utebatur : parcebatque rigoribus, quando illos poterat favoribus supplere. In sua Communitate non permisit susurrones naturâ, sed zelo affectos ex obligatione : in naturalibus connivebat defectibus, morales vitabat : tanquam infantulis, qui sine vehiculo temporalis alicujus commodi ferri nequibant, nec tendere ad perfectionem, se illis accommodabat : ab usu deliciarum excludebat superfluum, non necessarium, in sua Communitate. Subditos occupabat in officiis, quae ipsorum talentis, et propensionibus convenirent; sciebat enim, nullum in ullo genere magnum esse contra ictum naturae. Sciebat item, ingenia vivida, cholerica, hilaria, habilia, et arguta, esse ad Cathedras idonea, nec parum ad Pulpitum sacrum, si tamen ad concionandum spiritu Dei se accingant. Sciebat pariter, viros prudentes, graves, et mites, aptos esse regimini : fervidos congruere orationi mentali, et vocali. Robustos exercebat laboribus corporis, graciles mentalibus, et moderate. Hortabatur multum ad poenitentiam, et mortificationem ; sed in executione fervorem reprimebat. Dimisit multos a sua societate ; praesertim, eos qui fuerunt increduli, audito Mysterio Eucharistiae. Non semper inveniebatur cum Discipulis suis, ut ne illis ex praesentia sua continua molestiam aliquam crearet ; sed frequenter ad montem solus confugiebat, ut orationi vacaret, unde mox cum illis de rebus spiritûs agebat : docebat eos verbo, atque

opere, quomodo primum deberent sui ipsorum curam habere per exercitia spiritualia ; posteaque poterant bene incumbere proximorum saluti per sua ministeria. Interius erat oppido singularis, exterius facilis, et communis : tractabilis cum doctis, cum nobilibus urbanus : atque omnibus omnia factus summa cum simplicitate, affabilitate, ac mansuetudine, illos, qui consuetudinem habebant cum eo, ad coelum lucrabatur. Ecce quomodo bonum in se referebat Praelatum, et Rectorem Societatis Jesu.

Caput Octavum.

Quomodo unusquisque Religionem gubernet ad normam suae inclinationis.

Plerunque homines, in Officiis praeeminentibus constituti, juxta suam feruntur naturalem conditionem, et inclinationem. Crudelis exequitur ultiones : cupidus lucra quaerit : vanus ambit laudari : mansuetus se affabilem, facilemque demonstrat : insipiens exequitur inscitias : ignorans, si addicitur regimini, subito ait, Religionem spiritu indigere, ac humilitate, non literis, quae homines reddunt inflatos, vanos, et superbos ; quasi literati humiles non essent columnae Religionis. Si literatus assumitur in Praelatum, indoctos contemnit, et inquit, spiritum sine literis esse gladium evaginatum, quo potest tam esse damno, quam profectui. Rigidus, et austerus affirmat, perditam ire Religionem, nisi abundent poenae, ac poenitentiae. Contra vero qui naturâ est blandus, et benevolus, asserit, filios Dei non deberi duci rigore, sed amore ; quasi tempes-

tive rigor non interesset valde : quodque noxium est, quamdiu sunt Superiores, Regulas, et Constitutiones explicant ad salivam suae innatae propensionis, semperque inveniunt, qui praesidio sint ad haec illarum dictamina. Si Praelatus est juvenis, zelator, bonusque Religiosus, communiter est in suorum executione dictaminum viribus, et animo praestans. Si est solitudinis amans, et naturâ melancholicus, desiderat multum omnes deditos secessui, et quod subditi assuescere incipiant solitudini. Si est criminator, amicus erit rumusculorum, fabellarum, et calumniarum : facile credit aliorum culpas, nec nisi poenis inflictis conquiescit : amat punire, magis quam emendare : qui proinde plures suscitat lites, et pace parva, vel nulla gaudet. Superiores suspicaces, et malitiosi, vivunt cruciati suspicionibus : plura sciunt, quam quae corrigere valent, quod illos interius continenter excruciat. Qui autem sani sunt cordis, curant potius nescire, quod nequeunt, nec debent emendare : sicque tam secum, quam cum subditis fruuntur pace. Postremo juxta naturae indolem communiter gubernat Praelatus, bene aut male.

Caput Nonum.

Quodcumque malum regimen in varias distributum classes.

Prima classis eorum est, qui debilis sunt intellectus, minorisque judicii. Hi quamvis habeant ob oculos regulas omnes regiminis boni, vix aliquid boni assequuntur ; et si semel aut iterum rem attigerint, casu erit.

Secunda est hominum, qui politici dicuntur, Religionemque gubernant humana Status, ut vocant, ratione, modisque saeculariter politicis, cogitantes saecularem politicam miscere cum sinceritate, et veritate, quam requirit regimen filiorum Dei : eosque Deus solet manumittere a sua protectione, unde fit, ipsos in gravibus negotiis a recto deviare, deveniuntque bonis in derisum.

Tertia est hominum habilium, argutorum, qui prompte discurrunt; suntque magni speculativi Gubernatores, maxime damnando alienam rationem gubernandi : qui tamen in praxi solent esse oppido inscii, licet dum essent subditi, de alieno regimine censores se facerent, venditando propria dictamina ; practice vero labuntur : est enim facile obloquï de regimine, sed juste in praxim deducere, difficile admodum.

Quarta classis est hominum natura gravium, politicorum habitorum in existimatione : hi, cum fiunt Superiores, aliquoties praetextu Officii superaddunt quamdam gravitatem supposititiam, qua evadunt odiosi, et alienant a se corda subditorum : sunt in obsequiis humanis retinendis morosi, nimium soliciti de personae suae authoritate : iidem parvi sunt spiritus, parvi judicii, et paucos numerant amicos.

Quinta est quorumdam hominum male in alios animatorum, minutorumque, nihil non inquirentium, et scire aventium vel minimos defectus subditorum : hi et se ipsos inquietant, et subditos : nesciunt ignorare multa, quae nequeunt emendare, qua de causa habiles, et arguti, qui multa sciunt, procedunt tristes, et afflicti : viri autem boni, qui plura nesciunt, pacifici et contenti indulgent genio.

Sexta est quorumdam Reformatorum infimae sortis, intempestive Zelatorum qui ad puerile aliquid extirpandum, nihil ducunt fraudare pace totam Communi-

tatem : hi tamen tam imprudentes sunt, quam morosi : res turbatas relinquunt, et in hoc sistit tota ipsius reformatio.

Septima est quorumdam misere tenacium, qui victum resecantes, Communitatem implent murmurationibus : nemo est qui cum eis convivere ferat ob illorum abjectos mores et sordidos.

Octava est quorumdam immodice profusorum, qui fabricas struunt cariores, quam utiles, aut necessarias, ut aucupentur sui in posterum memoriam : his minime fidenda sunt aut aes, aut gubernatio; quoniam aes male perdent, et regimen pejus ministrabunt.

Nona est quorundam hominum, impetu correptorum, et cholerâ, qui propriae superbiae, ambitionique indulgere amant expensis alienae obedientiae, ac humiliationis : hi continuis litibus laborant, et vitam agunt ut aeque odii, ac timoris objectum, tandem tragicum.

Decima est quorumdam hominum tetricorum, et imperiosorum in jubendo, in increpando iracundorum, disponentium ad libitum proprium : qui aptiores sunt in Dynastas ad imperandum, quam in Superiores filiorum Dei.

Undecima est quorundam hominum, qui sunt boni viri, humani, simplices, sub quibus subditi cum libertate vivunt conscientiae : hi non solent habere vim, neque mentem, ad procurandos progressus in bono, et repellendos in malo; unde perditur totum.

Duodecima est quorundam cordis pusillanimi, qui levi de causa conturbantur : hi mente praesentes habent subditorum defectus, quibus ut pungentibus spinis cor eorum cruciatur : iidem bonis aliis juvantibus gubernant minus male.

Decima tertia est quorumdam hominum cerebrosorum qui sunt tam proprii dictaminis amici, quam inimici alieni : atque hi, propterea quod imperiosi

nimis, paucos habent, qui prompte ipsis obediant : iidem successus patiuntur adversos, et inimicos non paucos.

Decima quarta est quorumdam bellicosorum hominum, tumidorum, superborum ; qui regimine utuntur tanquam virga potentiae suae, sicque indulgent affectionibus suis, deliciis, placitis, amicitiis, et ambitioni : publice colunt amicitias privatas, officiosi sunt amicis suis, persequuntur inimicos : hi multis palam vitiis tenentur, et peccatis secretis.

Decima quinta est quorundam hominum criminatorum, qui exaggerant nimis aliorum defectus, ex levi fidem praestant susurrationibus, nec remedium acceptant, quod careat supplicio : hi sunt crudeles, vindicativi, sinistrae intentionis, demonstrantque habere tam judicium vitiatum, quam viscera.

Decima sexta est quorumdam hominum paradoxorum, qui ad nutum humoris praevalentis gubernant, bene vel male : si venit ipsis in mentem facere quicquam modo suo, de suis amicis non curant, nec de surrecturis incommodis, dummodo intentum suum adimpleatur.

Decima septima est quorumdam Spiritualium insipientum, et stupidorum : hi ad sanctitatem apti, ad regimen sunt inepti ; nec enim est perinde bonum esse, ac (quod donum distinctum est) esse bonum Praelatum.

Postremo sunt aliqui praesumptuosi, pleni semetipsis, qui mire suo in judicio, intellectu, et talento placent ; hi rem attingunt, si facilis, et e trivio : in gravibus autem negociis dilabuntur. Aliique sunt inscii, cerebrosi et difficiles, qui cum intellectus sint miseri, aestimant posse totum Mundum idoneë gubernare : hi ad dissertorum conspectum stupidiores comparent.

Demumque hoc regendi donum, quod in libris legitur, et non invenitur, desuper venturum est.

Caput Decimum.

Classes variae regiminis boni.

Gubernare bene donum est practicum, cujus fundamentum nobiscum ortum habet, cujus complementum acquiritur longâ experientiâ plurium negotiorum. Fundamentum nimirum est indoles quieta, mansueta ; bonusque intellectus, verior quam acutior, maturum judicium. Complementum autem est, versare negotia propria Status, cujus quis existit Gubernator; quo fit ut ex erroribus eliciat peritiam, ex seductionibus documenta ; et practicam hauriat cognitionem, cum experientia personarum, negotiorum, aliarumque circunstantiarum, quae multum juvant, et illuminant ad negotia in finem praestitutum dirigenda.

Prima classis est quorumdam hominum intellectus boni, ac boni judicii : hi quamvis parum experti, si sensim procedunt, bonisque utuntur consiliariis, bene gubernant.

Secunda classis est quorumdam hominum humilium, et mitium; qui multum de se diffisi, multum fidunt Deo ; atque in rebus arduis consilium ab aliis capiunt, quorum judicium praeponunt suo : hi Deum sibi debitorem faciunt, negotiaque difficilia feliciter expediunt.

Tertia classis est quorumdam senum expertorum ; qui experientiâ norunt praeterita, praecognoscunt cum gradum scientia conjecturali futura, et quasi ventura-

rum rerum videntur divini, loquuntur pauca, et multa operantur, praesentia medicant, et tempestive praeservant a damno futuro : hi vere magni sunt Gubernatores.

Quarta est quorumdam hominum doctorum, et spiritualium mentis capacissimae, talentorumque insignium ad Cathedram, Pulpitum, et ad gubernandum : hi sunt ad regendum majora oportuni; sed periculum est, ne fiant absoluti, et propriae voluntati addicti; rarus enim ex his est, qui sibi non tribuat supra justum.

Quinta est quorumdam hominum non mediocriter sanctorum, et amicorum Dei; qui, ubi naturâ sunt mediocri talento donati, solent valde illud gratiâ perficere : si vero naturâ sunt insipientes, miseri intellectus, vel nullius judicii, erunt sancti ordine supernaturali, sed utpote insipientes, in ordine naturali, non sunt ad gubernandum idonei.

Sexta est quorumdam hominum affatim prudentum, et valde bonum commune ambientium : hos Deus magno accendit zelo faciendi, ut Religio in melius procedat, et audacter superant difficultates quae communem bonum praepediunt : at in hoc quod ipsis expediens est, communiter laborant aliquibus imprudentiae defectibus.

Septima est quorumdam juvenum, vix numerantium annos triginta, bonoque praeditorum intellectu, qui optant bonum in posterum nomen comparare; sed cum experientia illis desit, prudenter modo, modo se gerendo imprudenter, obtundunt caput proprium, et aliorum in occursu rerum minimarum : atque hi sufficientes sunt pro minoribus Communitatibus, unde aliorum expensis acquirant experientiam, evadantque apti ad majores etiam Communitates bene regendas.

Octava classis est quorumdam hominum spiritua-

lium, oppido addictorum exercitiis virtutum, unde praeeunt exemplo non mediocri, nec aliquid jubent, quod non faciant ipsi, ac in rebus Communitatis sunt primi : et quamquam hi tales ad res temporales parum sint habiles, oratione, ac vita sancta felices obtinent eventus : ex iisdem multi licet aliquas inscitias incurrant, hoc una idem vertitur in utilitatem urgendi fortiter executiones.

Nona est quorumdam hominum nobilis conditionis, verbis affluentium, et humanissimae gratiae in familiari sua consuetudine, unde redduntur chari omnibus : hi, subditorum erga se benevolentiâ semel conciliatâ, plus amore proficiunt, quam timore ; quamquam verum sit, timore gubernari bene Communitatem, amore aptius regi personas privatas.

Decima est illorum, qui et sunt cum primis intelligentes, et simul aeque patientes, quae duo raro consociantur : hi publicis in exhortationibus urgent ad summam obedientiam, perfectam mortificationem, orationem devotione praestantem ; in privatis autem subditis contenti sunt cum quadam mediocri virtute, scientes plenam Communitatem non ferre nisi perfectionem regularem, nempe insimul agere omnes, verrere, studere, orare promptos : perfectio enim personalis, quae in magna quadam sanctitate sita est, vix in aliqua Communitate centum personarum reperitur in una vel altera, in quibus etiam deesse nequeunt aliquae imperfectiones, quae cum perfectione regulari permistae subrepunt.

Tandem regimen consultum est donum Dei, ubi Praelatus indiget talento timoris pariter, et amoris : timoris ad malos, amoris ad bonos : timoris ad Communitatem, quae sine timore aliquo, et coactione, regi bene non potest : amoris ad privatos, qui, ubi discoli non sint, amore trahuntur, et ab obedientiam acquies-

cunt. Bonus superior a longe debet timore acceptus esse, ac reverentiâ, prope benevolentiâ : in jubendoque debet esse animosus, constans, bonorum amicus, publicus virtutis aestimator, et virtuti addictorum; simul connivendo in mille imperfectiones, quae in malis remedio carent ; necesse quippe est, in sua Communitate bonos esse, ac malos, perfectos, et imperfectos : et si essent omnes boni, nulla superesset regendi difficultas.

Caput Undecimum.

Quomodo perdi possit Familia quaedam Religiosa?

Praeter debilitatem humanam, et Universi conditionem, ubi omne creatum tractu temporis declinat in senectutem suae corruptionis : siquidem omnia communicantur ea conditione, ut finire debeant, et quanto longius a suo principio recedunt, tanto propius accedunt fini suo, et destructioni. Praeter haec, inquam, in genere, dico, perditionem alicujus Familiae Religiosae incipere semper a Paupertate, tam a Praelatis, quam a subditis non observata : 1. quia ubi est, meum et tuum, ibi necesse est adesse lites, dissidia, et graves defectus charitatis fraternae; quod est initium perditionis in Religione aliqua. 2. quia per marsupia privatorum nequeunt non exsanguia reddi bona communia; unde bonum publicum deperit semper pari passu, ac praevalet bonum peculiare. 3. Subditus dives non indiget Praelato in re temporali, devenitque usque ad contemptum illius ; homines enim communiter parum curant de ullo, quo non egent. 4. Subditus dives

habet ad manum media, ut exequatur vitia, quae si esset pauper, in opus adducere non posset. 5. Subditus dives habet communiter Obedientiam, et Castitatem ejusdem mensurae cum sua Paupertate. Hi tales habent, et profitentur Paupertatem secundum praedicta quaedam essentialia, sociabilia in possessione cum rerum temporalium copia, et opulentia ; quod sufficere putatur ad disputandum, et se tuendum apud homines : aliis tamen Deus utetur argumentis, quibus illi non poterunt respondere.

Secundus gradus, unde poterit Familia Religiosa in suam descendere perditionem, est ambitio : cum etenim magis ambitiosus frequenter sit magis vitiosus, si vitium obtinuerit regimen, istius umbrâ illud redditur impune, virtus autem manet absque debito sibi praemio ; indeque nihil non perditur.

Tertius gradus est, Religiosos esse numero multos, qui male sustentantur temporaliter, et gubernantur pejus spiritualiter : valde bonum in nullo genere solet esse multum.

Quartus est idiotismus, maxime in Praelatis : quippe cum otiositas sit socia idiotismi, certe idiotae otiosi perdent Familiam quantumvis reformatam ; signanter si vitiosi etiam sint authoritate praecipui, et deliciis dediti ; adsit multa occupatio, et non aderit multa perditio : ac magis proderit, deesse occupationibus personas, quam personis deesse occupationes ; quanto enim Religiosi magis occupati fuerint, minus otiosi erunt, minusque vitiosi.

Quintus : uti addictos esse ad studium literarum absque nimietate praemiorum, exemptionum, et lautitiarum, est quaedam stabilis columna Religionis ; ita e converso literae nimis donatae praemiis authoritatum, et exemptionum redundantium, alunt magnam superbiam, ac redduntur pallia, et scuta vitiorum, quae

Religionem perdunt: quare praemia literarum hoc pacto nimia plus Religioni afferunt damni, quam profectus.

Sextus, recipere personas pravae indolis, et non dimittere mature: siquidem tales aegre, tarde, aut nunquam emendantur; sed in correctione culpas duntaxat abscondunt, non delent, nec corrigunt. Hi homines Familias observantiores relaxant.

Caput Duodecimum.

Impedimenta quae faciunt, ne Religio augescat.

Duplex est in Religione perfectio: alia Regularis, alia Personalis. Regularis est toti Communitati communis: et consistit in perfecta instituti, atque Regularum observantia. Personalis paucorum est in particulari: consistitque in gradu quodam heroico sanctitatis, nimirum gratiae habitualis, quae forma est, a qua sanctificamur.

Primum ad utramque perfectionem impedimentum est pravum exemplum Praelatorum, deliciis, et auctoritati addictorum: cum enim juniores adolescant, ob oculos habendo exemplum adeo improprium, aspirant ad privilegia, quae vident multorum authoritate seniorum aestimata; sicque individua taliter exaltata faciunt, ut humilitas in Communitate habeatur contemptui, et vilipendatur, quod est ingens impedimentum.

Secundum est, Magistros Novitiorum esse in materia spiritus parum expertos; quo fit, ut tyrones magis caeremoniarum periti evadant, quam solidarum virtutum.

Tertium est publicas Religionis officinas multis carere in re temporali necessariis, quod ad turpes cogit in

spirituali re vilitates : quando enim cogitur quis curare sua commoda temporalia, necesse est, ut negligat profectum spiritualem.

Quartum nimia facilitas absolvendi a casibus reservatis : sic enim tollitur fraenum iniquitatis non parum principale.

Quintum neglectus notorius in Exercitiis spiritualibus Orationis mentalis, Examinum, et reddendae rationis conscientiae : praesertim vero in junioribus, qui facile hujusmodi exercitia contemnunt.

Sextum deesse Patrem spiritualem destinatum, ad promovendum spiritum in subditis, qui cum illo possint communicare suam orationem, tentationes, angustias, et omne bonum, aut malum propriarum animarum. Hoc est impedimentum praegrande, atque in Communitatibus, quae carent aliqua istiusmodi persona spirituali, deficit magnus thesaurus : quoniam Praelatus, nisi et Magister Novitiorum sit, non potest munus istud, ut expedit, praestare ; cum debeat corripere, remedium adhibere, atque aliquoties severe, poenisque adjunctis, defectibus Communitatis suae ; unde in communi magis timendus a Subditis veniet, quam amandus ; et uti amor est clavis communis, quae reserat corda, secretaque revelat, ita timor omnia occludit, et operit.

Ad calcem hujus Capitis dico, quemadmodum in homine senectus ipsa est morbus, quo amittit nitorem, pulchritudinem, vigorem, et vires, quibus in aetate juvenili, et virili pollebat, pariter esse de quavis Communitate intelligendum : nisi enim renovetur, sufficit senectus sua pro impedimento, ne crescat ; et quae in sua primaeva infantia erat mille deliciis a Deo allecta, et in adolescentia saeculi alterius illustrata est hominibus sanctis et doctis, atque in virilitate ulterioris saeculi fuit Ecclesiae utilis egregiis servitiis ; dum ad senectutem pervenerit, hoc illi sufficit, ne ultra crescat, et progressum non faciat.

Caput Decimum Tertium.

Aphorismi ad regimen Religiosum.

I. — Christum per omnia imitari, est ad regendum optime gubernari.

II. — Non gubernat omnino ut Pater, qui viscera non habet ut Mater.

III. — Carnifex pro fine habet rei culpas castigare, Pater pro fine habet illas emendare.

IV. — Modus jubendi imperiosus in Superiore, impedimento est obediendi bene in inferiore.

V. — Si Superior sis exemplaris, mereberis ut obediaris.

VI. — In superiore luxûs ratio est publica relaxatio.

VII. — Superior absque oratione currus est sine temone.

VIII. — Superior sine prudentia est morosus cum ineptia.

IX. — Superior absque experientia erit mancus in prudentia.

X. — Qui cum violentia gubernat, conscientias bene non reserat.

XI. — Quando culpae sunt leviores, praestat quasvis aliquando admittere excusationes.

XII. — Superior criminalis, non tam est Pater pius, quam Praefectus fiscalis.

XIII. — Amicus proprii judicii erit opere non parvi praejudicii.

XIV. — Qui non gubernat in pace, censendus pro regendi incapace.

XV. — Qui est subjectus moerori, non fidet ficto, et non syncero Superiori.

XVI. — Politicum regimen intra Religionem, est illam precipitare in perditionem.

XVII. — Superior, quem ira occupabit, non modice Subjectum turbabit.

XVIII. — Regimen affluens benevolentiâ, erit praeditus quasi divinâ potentiâ.

XIX. — Nimius regiminis rigor ad mancipia est opportunior.

XX. — Superior in agendo affectatus, est quasi ad fastidium commune natus.

XXI. — Ille qui nescit dare, non pauper est, sed tenax avare.

XXII. — Superbus sumptibus alienae humilitatis dilatat philacteria propriae vanitatis.

XXIII. — Bona opera cum animi candore sunt magnes cor trahens cum certo quodam dulcore.

XXIV. — Cum duriter imperatur, prompte non obsecundatur.

XXV. — Ob defectum abundantiae defectus est observantiae.

XXVI. — Prudens quaedam simulatio est tacita quaedam increpatio.

XXVII. — Pro scandalis in peccatore sint poenae non sine rigore.

XXVIII. — Juxta propriam quisque inclinationem suam gubernat Religionem.

XXIX. — Rigidus Superior in jubendo afflictos facit Subditos in obediendo.

XXX. — Est qui curet exteriora, negligens curare interiora.

XXXI. — Qui hoc procurat Officium, pessimum demonstrat judicium.

XXXII. — Qui assequitur more humano, laborat ambitu vano.

XXXIII. — Quia esse bonum Praelatum est servum esse honoratum.

Caput Decimum Quartum.

Arcana regiminis Religiosi.

I Interrogatio. — Quaenam est principalis virtus Praelati, post prudentiam?

Responsio. — Patientia, ut toleret ac ferat bene proprias melancholias, et ineptias alienas : nam reliquae virtutes pro una vel altera occasione necessariae sunt, at patientiâ opus est omni hora, omni actione, omni occasione; maxime si debeat Superior familiaris esse suis inimicis, sereno vultu agere cum illis, et cum bona gratia dare ipsis ea, quibus egeant.

II Interr. — Quidnam alicui reformatae Religioni magis repugnat?

Resp. — Vitium non debite punitum, et virtus sine debito praemio, aestimationeque : praesertim si vitium decoratur exemplo gravium, et senum, vel si praescribit impunitate continuata.

III Interr. — Quodnam est vitium magis relaxans Religionem?

Resp. — Defectus paupertatis ob licentias generales ad dandum, et recipiendum : quoniam defectus in Obedientia, et Castitate sunt personales, et quodam modo regulares : defectus vero in Paupertate totam destruit regularitatem Status Religiosi.

IV Interr. — An Praelationes habeant personas mutare, vel illas detegant ?

Resp. — Dignitates, honoresque non mutant, sed detegunt, quidnam sit interius unusquisque : qui enim Subditus circunspectus comparebat, factus praelatus, si mente non viget, monstratur ineptus : si Subditus judicio erat debili, sed materiae defectu non agnoscebatur, Praelatus constitutus, stupidum se se ostendit : crudelis, et criminalis ignotus, quando Subditus, dum Praelatus evadit in puniendo ultor apertus. Itaque honores non mutant mores, sed detegunt.

V Interr. — Quinam illi sunt, qui difficilius in Religione gubernantur ?

Resp. — Qui sunt naturae impetu protervi, et ingenii pravi, nunquam bene reguntur amore, sed timore, ac rigore : homines docti, si vani sint, et non boni judicii, gravabunt ut ut prudentem, et mitem Superiorem : qui boni sunt intellectûs, sed voluntatis malae, si amori proprio inserviunt cum prava intentione, similes sunt doemonibus, quorum intellectus boni sunt pessimae suae voluntatis ministri executores : hi tam maligni sunt, et protervi, ut punitionibus exacerbentur magis, beneficiis deteriores fiant : hi tales, nisi vel carcerati, vel dimissi, nihil boni praestabunt.

VI Interr. — Quaenam sunt vitia difficilioris curationis ?

Resp. — Vitia, quae ortum habent ex fragilitate, vel tentatione, facilem habent medicinam : at vitia moralia, quae radices agunt in naturae defectibus, saepenumero superant remedia : poenis enim absconduntur, sed non exulant. Qui subest ingenio naturae vano, insano, et superbo, sero, aegre, vel nunquam humiliat se : qui est naturâ veterator, et tortuosae intentionis, erit perpetuus vitae aliorum censor, et superiorum detractor : qui est naturae voracis, raro fiet poenitens.

Ita homines communiter, naturâ duce vivunt, et moriuntur sub illis defectibus, qui defectibus naturae respondent. Deus tamen cum gratia sua est super omnia.

VII Inter. — Darine potest Praelatus, qui detractioni passivae non subjaceat?

Resp. — Vel ille bene munus implebit suum, vel male : si bene suberit detractioni malorum, si male, detractioni bonorum. Atque adeo persuasum sibi omnes habeant, quod communiter perinde sit esse Praelatum, ac subjici censurae aliorum : unde si renuat hanc pati pensionem, necesse est, ut renuat ipsam Praelationem.

VIII Interr. — In gravibus negotiis dari ne potest executio ita conveniens, ut in mediis nulla occurrant inconvenientia?

Resp. — Bona hujus Mundi non adeo sunt perfecta, ut concomitanter aliqua mala non imbibant; nec ulla est res ita conveniens, ut alia ex parte aliquod inconveniens non habeat. Atque adeo (aliquas omittendo exceptiones peculiares) ex mea sententia, communiter loquendo est impossibile, ut bene gravia negotia executioni mandentur, in cujus executione aliqua inconvenientia non eveniant.

IX Interr. — Suntne Praelationi habiliores, qui sunt habilissimi ingenio?

Resp. — Scientiae sunt actus intellectus speculativi, et ipsius perfectio; prudentia vero est propria intellectus practici, et ipsius perfectio : ingenio habilissimi sunt ad Cathedras, et Pulpitos valde apti, et ad gubernandum non idonei, eo quod sint communiter novitatum conditores, et parum constantes : at oppido prudentes pollent maturiore judicio, licet non adeo ingenio et acumine intellectus ; apti sunt proinde regimini, et parum, aut minime idonei, Pulpito, vel Cathedrae. Accipe generatim loquendo : scitum est enim, Viros

nihilominus fuisse ingenio, doctrinaque habilissimos, et simul eximios Praelatos.

X Interr. — Quaenam erit potior gubernatio? brevior ne, v. c. per triennium, an longior, per sexennium, aut amplius? (1)

Resp. — Misso regimine Generalium, quod diversas habet pro se rationes : regimen longum Superiorum Localium in eodem loco, et cum iisdem Subditis, gravissima fert inconvenientia : 1. regimen longum reddit homines nimium absolutos, et si non sunt servi Dei, adhuc dissolutos. 2. gubernatione oblonga redduntur odibiles, unde suboriuntur lites, offensiones, inimicitiae; atque in Communitate discordi patet, non posse rectam esse gubernationem. Praeterea sunt alia inconvenientia secreta, quae literis exprimi non debent. Nec experientia, quae longo regimine acquiritur, aequivalet tot inconvenientibus. Praeterquam factus de novo Superior, incipit novo animi vigore ad novos labores sustinendos. Nequidem Subditi deberent multos annos esse in eodem loco, quod gravia infert inconvenientia ; siquidem aliqui sic sua commoda temporalia stabiliunt, ut longâ temporis morâ videantur praescribere contra potestatem Superioris.

XI Interr. — Expeditne Praecepta obedientiae imponere in aliqua Communitate ?

Resp. — Aliquoties non poterunt praetermitti ; sed sero, vel nunquam : quia est signum ultimae perditionis in aliquo individuo, vel aliqua Communitate, quando devenit in hanc praecepti necessitatem ; siquidem praecepta sunt extrema remedia, quae non debent applicari, nisi in extrema pariter necessitate ; maxime si praecepta sint habitualia, de quibus, quantumvis strictissimis, Subditi mox invenient opiniones, et doctrinas,

(1) *Vide in Appendice Notam E.*

quae illorum obligationes evacuent, unde opinantur ea non obligare, consequenterque non esse vera praecepta. Hoc ita contingit in Religionibus, quando praeceptis onerantur : praeter quam est certum indicium fatiscentis Religionis, quando necesse est praeceptis, ut sustineatur.

XII Interr. — Potestne Superior cum praecepto jubere, ut Subditus detegat defectum proprium ; vel alterius secretum, sed cujus habet Superior indicia sufficientia ? tenebiturque Subditus respondere sine usu aequivocationis ?

Resp. — Quemadmodum Judex saecularis, quando habet indicia sufficientia, potest sub juramento interrogare a reo de proprio ipsius, vel alterius delicto : ita Superior Religiosus, cum sit Judex Subditi ordinarius, potest imponere illi praeceptum obedientiae circa culpas ipsius proprias, vel alterius, de quibus sufficientia jam habet indicia, Subditusque debet tunc sine aequivocatione respondere. Non me latet, reos improbare omnem opinionem, quae ipsis adversetur (1).

XIII Interr. — Quaenam est crux, quae gravius premit Subditum scientem ?

Resp. — Superior ineptus : cujus ratio regulatur passione, vel affectione sua : et cum tardus intellectus inepti (nullusque se reputat talem) non penetret gravia inconvenientia, quae scatent ex suo regimine pravo ; sua propria ignorantia quodammodo illum excusat a multis distortis sensis, quae recidunt in Subditum scientem ; qui quidem, nisi magna roboretur virtute, vitam aget in agone.

XIV Interr. — Estne bene, aliquos dimittere a Religione, maxime insanientes, paradoxicos, incorrigibiles, incapaces, et qui sunt naturae propensione vitiosi, et

(1) *Vide in Appendice notam F.*

alios id genus, ante quam admittantur ad Professionem?

Resp. — Quemadmodum corpus humanum, evacuatis humoribus malignis, manet vegetum, sanum, et boni coloris, cum viribus, vigore, nitore, agilitate; retentis vero humoribus noxiis, ut calore naturali recoquantur, cito potest fieri, ut homo debilitetur, et pereat : id ipsum de corpore mystico Religionis; quod si velit salute spirituali gaudere, splendoremque, pulchritudinem, gratiam in oculis Dei, et hominum retinere, expellat a se filios diffidentiae, qui eam perdunt, privantque nitore, venustate, ac bono nomine : pravis ejectis, probi manent domi aestimati, et summo Religionis honori, atque utilitati : praestant pauci boni, quam multi mali.

Caput Decimum Quintum.

Arcana justitiae Religiosae.

I Interrogatio. — Quotnam fora, et quotnam justitiae possunt esse in aliqua Familia Religiosa?

Responsio. — Fora sunt duo, aliud forum interius conscientiae, aliud forum externum, et legale. Foro interiori conscientiae correspondet justitia naturalis, quae una ex duabus est : et altera justitia, quae est legalis, correspondet foro externo, quod plerunque potest esse contentiosum.

II Interr. — Quaenam justitia est magis expediens regimini Religioso? naturalisne, quae reperitur inter Patres, et filios; vel legalis, quae inter Dominos, et subditos adest?

Resp. — Religio reformata est quasi Communitas quaedam Patrum et filiorum, ubi justitia naturalis, agnita veritate, licet praeter terminos juridice legales, potest in conscientia operari, quod magis conveniat utilitati filiorum. Quae justitia naturalis exercetur cum securitate conscientiae, quando abest scandalum. In omni bene ordinata Familia, ubi Pater pro correptione, ac punitione paterna filii non indiget compertum habere juridice defectum istius, sufficit quod id noverit ex dicto unius viri probi, qui non debet, nec consuevit dicere falsum : nec multum refert, si semel aut bis innocens filius sustineat sine culpa poenam aliquam levem ; deserviet enim ad perfectionem, et ad exercitium patientiae, parumque jacturae fit, etsi superveniat insonti : ut tamen ad poenas ex gravioribus deveniatur, clarum est culpam debere cognosci per idoneas probationes, aut naturales, aut legales. Vae parentibus et liberis, sive saeculares illi sint, seu Regulares, quorum conservatio, et commune bonum, pendet magis a justitia legali, quam a naturali ! In hujusmodi Communitatibus multo plures noxae operiuntur, et curantur paucae.

III Interr. — Quodnam discrimen est inter denuntiare, et accusare ?

Resp. — Non debent confundi actus humani, qui a diversis virtutibus procedunt; siquidem ad diversos tendunt fines et objecta. Denuntiare, habendo pro fine bonum proximi et pro objecto emendationem ipsius, est actus fraternae charitatis. Accusare est pro fine habere justitiam vindicativam, cujus finis est, punire delictum, et objectum est, aequare culpae poenam. In denuntiatione, quae actus est charitatis, debet observari ordo charitatis, a Christo D. N. in Evangelio institutus; et est, ut prius admoneatur reus, quo detur emendationi locus, dum adest probabilis spes, fraternam hanc

monitionem illi profuturam; idque, priusquam conscius fiat Superior. At vero in justitia omnia sint ordine inverso, nempe ut moneatur Superior, et non reus : quod ita fert praxis omnium Mundi Tribunalium, sive Saecularium, sive Regularium. Itaque ubi Religiosus denuntiare debet cum charitate, debet fratrem suum commonefacere, priusquam adeat Superiorem juxta praeceptum Domini : sed si admoniturus est ad normam justitiae vindicativae, conscium faciat Superiorem in veritate, intentioneque recta, reo praetermisso : quo fiet ut duae istae Charitatis et Justitiae virtutes, non confundantur inter se.

IV Interr. — Quando Religiosus est conscius culpae fratris sui, quid tum faciet? denuntiabitne cum charitate, servatoque ordine istius virtutis? an accusabit in justitiâ, et veritate, praetermisso ordine charitatis ?

Resp. — In hac re standum juribus municipalibus uniuscuique Religionis : et universim loquendo, si velit, bene quisque potest accusare cum justitia, et veritate reum coram suo Judice legitimo. Ac si quidem ita fit in omnibus Mundi Tribunalibus absque ullo scrupulo ; cum etiam in Republica Regulari sint rei, Judices, et Tribunalia; quare non licebit Religioso absque scrupulo facere, quod Saeculari licet in suo tribunali ?

V Interr. — Quid poterit facere Religiosus, quando delictum fratris sui secretum est? potestne illum accusare ?

Resp. — Secretum obligat in ordine ad personas privatas, non in ordine ad publicas personas, quales sunt Judices; coram quibus frequenter accusantur secreta delicta, et illi procedunt inquirendo delicta, et complices secretos. Atque ratio est, quod cum delinquens, juxta delicti sui gravitatem, possit esse reus vitae propriae, et honoris erga Judicem, hic potest

licite inquirere secreta, quae conferre possunt in ordine ad officii sui executionem : si enim secretum obligare posset in conscientia ne manifestetur, etiam Judici, delinquentes in tuto manerent.

VI Interr. — Oportebitne, designare Syndicos, et Zelantes, qui defectus Subditorum secretos accusent apud Superiorem?

Resp. — Hi sunt Quaesitores Criminales justitiae vindicativae naturalis, qui cum sana intentione dicendo veritatem, accusare possunt : ac siquidem Quaesitores criminales sunt liciti pro servanda justitia vindicativa legali, cur non etiam liciti erunt Syndici, qui veluti Quaesitores criminales sint pro servanda justitia vindicativa Regulari? Sint vero selecti, et pauci : alias erunt potius sussurrones, et pax, unioque exulabit.

VII Interr. — Estne necesse, locum dare accusato, ut se defendat, et respondeat pro se ; ita ut hoc sit juris naturae?

Resp. — In poenitentiis levibus, et correptionibus quae magis ad perfectionem tendunt Subditi, quam ad correctionem, nihil horum requiritur ; sufficit convenire, audireque illum. At in delictis gravibus quae petunt grave supplicium, publicum vel secretum, ut mea fert opinio, Superiores qui Subditum eo in casu puniunt inauditum, peccant graviter : sed tales erunt aut crudeles, aut vindicativi, aut criminosi, et cupidi litium, et poenarum ; sicque caeco impetu feruntur ad explendum suum pravum ingenium aerumnis miseri Subditi, nec mirum, siquidem homines sunt passionibus, et miseriis animi male acti.

VIII Interr. — Quinam sunt ad regimen incapaces, et ad exercendam justitiam Religiosam?

Resp. — Stupidi, qui sunt depravati judicii : inepti, qui intellectus obtusi : idiotae, qui sunt alieni ab omni scientia (et tamen aliquando sunt minus incapaces) ;

insanientes, qui judicio maturo carent : ignorantes, qui nihil callent : juvenes, qui vigore nimio agunt, alieni a prudentia : nimium senes, qui jam desipiunt, et infantiles fiunt : valetudinarii, qui exemplo praeire nequeunt.

IX Interr. — Quidnam magis expediat, quod soli senes regant Religionem? an etiam juvenes in illorum consortio?

Resp. — Si soli juvenes gubernarint, ipsi Religionem perdent. Si soli senes, his obeuntibus subintrant juvenes numero plures ad Religionem gubernandam, perdentque ipsam. Regant igitur juvenes in consortio senum. 1. ut habeant, a quibus addiscant. 2. ut incipiant experientiam sumere tempestive, suaque idonea talenta praemonstrare. 3. ut juvenes in consortio senum, et timore istorum, tanquam suorum Quaesitorum criminalium, non audeant indebite operari.

APPENDIX

Quaedam notulae

A. — Libri I, cap. xv, p. 26. — Hic sapiens P. La Reguera optimum scholion addit : « Quod primo aspectu videri posset nimis durum in hac propositione, laudante conformitatem cum voluntate Dei, adhuc quoad minorem sanctitatem ; lenivit jam, id ipsum statuendo cum aliis, Alfons. Rodericius, *p. 1, Exerc. perf.*, tr. 8, c. 30, ubi sic docet : « Optimum est desiderium omnis virtutis, illas omnes sus- « pirare, ac procurare. At sic debemus desiderare semper « esse meliores, et crescere, ac ulterius progredi in via vir- « tutis, ut tamen pacem habeamus, si non pervenimus « illuc, quo desideramus, et cum conformemur cum volun- « tate Dei, cum ipsa contenti. »

« Exponitur, quatenus nec ex se Deus destinat nos, nisi ad quandam sibi certam mensuram sanctitatis ; et licet multum ab ea etiam mensura deficiamus ob nostram tepiditatem, et culpas (quod semper displicere nobis debet, ut et Deo displicet) ; ex suppositione tamen conformari debemus cum voluntate Dei consequente, et contenti esse cum eo, quod pejora non facimus, et hac via possumus humiliati, compensare quodammodo mala, quae perpetramus. »

B. — Libri VI, cap. iii, p. 158. — Loquitur Author juxta communiorem suo tempore opinionem de ignis sphaera in

concavo cœli Lunae, quae tribuebatur Aristoteli cit. *lib. 3*, de genere animal., c. II et saepius.

C. — Lib. VIII, cap. XII, n. XIX, p. 244. — Aphorismus hic circa communionem quotidianam emendandus est juxta mentem SS. Patrum qui frequentem quotidianumve usum sacrosanctae Eucharistiae semper probavere, juxtaque doctrinam Synodi Tridentinae quae, ss. 22, c. 6, ad communionem quotidianam fideles sic hortatur : « *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut singulis Missis Fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramenti etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quod ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberius proveniret.* » Legatur praesertim decretum S. Congregationis Concilii 20 Dec. 1905 circa dispositiones requisitas ad frequentem et quotidianam communionem eucharisticam sumendam : in quo decreto S. Congregatio monet ut communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus christifidelibus cujusvis ordinis aut conditionis pateat ; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

D. — Lib. IX, cap. II, p. 249. — P. de la Reguera sententiam illam sic interpretatur : « Non ita sumenda est sententia, ut qui mediocriter in statu religioso laxati sunt, in eo statu manentes, alii sint valde boni, alii valde mali : hoc enim afferret implicationem. Sed juxta proloquium asceticum, *in via Deo non progredi*, regredi est : sensus congruus erit, cum moraliter non factibile sit, in eodem statu manere ; vel illi Religiosi, abjecta tepiditate, fervidi fiunt, reddunturque magis et magis boni, ac sancti ; vel tepiditati relicti, eunt in deterius, quousque magis et magis mali, ac pessimi fiant. »

E. — Libri XI, cap. XIV, X int., p. 329. — Hic P. La Reguera rite observat : « De re ista videndi Navarrus *comment.*

3 *de Regul. n. 3, et consil. 82 eod. tit. n. 8,* ubi generatim desiderat, quod Praelationes Regularium sint perpetuae : ac Suarez *tom. 4 de Religione tr. 8, lib. 2, c. 7, et tr. 10, lib. 10, c. 2 et 3,* ubi fundat quod Author noster, sub distinctione inter Generales, et Praelatos inferiores. Prudenter autem *cit. c. 7, n. 1,* monet, ex natura rei utrumque modum esse possibilem, et de facto varie a variis Religionibus usurpari, prout unaquaeque magis expediens, aut minus sibi censuit incommodum, et possibile : « Quia in utroque modo possunt esse multa commoda in ordine ad bonum regimen, et quamvis habeant admixta incommoda, vel non sunt contra rectam rationem, vel non per se sequuntur, sed per accidens ; necessarioque sunt in rebus humanis toleranda, quia non possunt omnia vitari ; et praecipuum punctum humanae prudentiae est, tunc id eligere quod minus habet incommodi. »

F. — Libri XI, cap. xiv, xii int., p. 330. — Merito hic author applicat superiori religioso interroganti sub praecepto obedientiae doctrinam, quam ex communi supponit de obligatione rei ad respondendum judici cum sufficientibus indiciis ; siquidem eadem est ratio ; sed illa tamen doctrina studiose expendenda est, quia fuerunt et sunt variae opinandi rationes circa illam, quapropter consulendi sunt probati auctores. — Cfr. S. Thomam, 2 2, q. 69, a. 1, et q. 70, a. 1, c.

INDEX OPUSCULI

Praefatio editoris VII
Auctoris ipsius Praefata XIII

LIBER I

De Oratione et Mortificatione

Cap. I. Explicatio terminorum Mysticae Theologicae . 1
Cap. II. Quibus in rebus conveniant vita naturalis, et supernaturalis 3
Cap. III. Quid sit virtus, et quomodo differt a perfectione 4
Cap. IV. De tribus gradibus vitae spiritualis 6
Cap. V. De Orationis magno momento, et quomodo dividatur 7
Cap. VI. Quomodo dividitur Oratio mentalis? Et praxis traditur Meditationum 9
Cap. VII. Praxis Considerationis et Ponderationis . . . 10
Cap. VIII. De distractionibus et radicibus, unde oriuntur. 11
Cap. IX. Remedia distractionis 13
Cap. X. De scrupulis, radicibus ipsorum, et remediis . 14
Cap. XI. De devotione sensibili, et intellectuali. . . . 17
Cap. XII. Praxis et divisio mortificationis 18
Cap. XIII. Praxis mortificationis passionum 20
Cap. XIV. De abnegatione propriae voluntatis, et proprii judicii 21

Cap. XV. Praxis abnegationis proprii judicii, et propriae voluntatis 24
Cap. XVI. Puncta meditationis ad singulos dies hebdomadae 26
Cap. XVII. Aphorismi ad incipientes 31
Cap. XVIII. Secreta illius partis vitae spiritualis, quae pertinet ad Incipientes 33

LIBER II

De Oratione Affectus, et Unionis.

Cap. I. Quid sit Oratio Affectus? 37
Cap. II. De Affectu imitativo Vitae, Passionis, et Mortis D. N. Jesu Christi 38
Cap. III. Puncta Mysteriorum Christi D. N. ad singulos hebdomadae dies 40
Cap. IV. De Passione Domini ad singulos dies hebomadae 44
Cap. V. Effectus et fructus Orationis Affectus 48
Cap. VI. Cur quidam, bono praediti ingenio, Orationem quando, et quomodo volunt, facere non possunt. 50
Cap. VII. Praxis orationis affectivae aridae, ac varii ariditatis modi 52
Cap. VIII. Tentationes inhonestae, illarumque remedia . 54
Cap. IX Quomodo cognoscatur, quando ariditates sunt nostrarum culparum poenae, vel probatio Dei?. 55
Cap. X. Quid sit Unio? et quae sit inter orationem affectus, et unionis differentia? 57
Cap. XI. Praxis unionis obscurae, ingensque ipsius emolumentum. 59
Cap. XII. Puncta Meditationum, et Festivitatum praecipuarum Virginis Dominae nostrae 60
Cap. XIII. Aphorismi qui pertinent ad proficientes in vita spirituali. 64
Cup. XIV. Arcana vitae spiritualis, pertinentia ad proficientes 66

LIBER III

De Derelictione

Cap. I. De praeviis ad Contemplationem dispositionibus 71
Cap. II. De Derelictione in communi 73
Cap. III. De Derelictione imaginationis, et aliarum potentiarum sensitivarum 75
Cap. IV. De Derelictione, et purificationis intellectus et voluntatis 76
Cap. V. De Derelictione spiritus : et quomodo substantia animae purificetur. 78
Cap. VI. De vitae mixtae Derelictione 81
Cap. VII. Labores, quos sustinent, qui conversioni Gentium insistunt 82
Cap. VIII. Variae Crucium species, quas vitae mixtae sectatores patiuntur. 84
Cap. IX. Ingentia, quae secum affert, emolumenta Derelictio. 86
Cap. X. Aphorismi circa Derelictionem, et poenitentiam. 88
Cap. XI. Arcana Derelictionis 90

LIBER IV

De Contemplatione.

Cap. I. Quid sit Contemplatio? Et quomodo dividatur? ipsius passiones, species et effectus. . . 95
Cap. II. De effectibus, quos causat contemplatio in virtutibus Theologicis : et quomodo amorem Dei extollit. 97
Cap. III. Quomodo Fides, et Spes, a Contemplatione perficiantur?. 99
Cap. IV. De amore proximi, in quantum est effectus contemplationis 100
Cap. V. De luce affectiva, quae nascitur ab amore incenso. 102

Cap. VI. Quomodo Humanitas Christi sit janua contemplationis? 104
Cap. VII. De praesentia Dei 106
Cap. VIII. Varii contemplationis effectus. 108
Cap. IX. Quomodo contemplatio virtutes morales altius extollat. 110
Cap. X. Quod magna capacitas naturalis requiritur ad contemplationem : et quam sit haec amabilis? 113
Cap. XI. De variis animae cum Deo sese uniendae modis : et in speciali de unione contemplativa illapsus 116
Cap. XII. De duobus istius unionis illapsus effectibus, qui sunt passio divinorum, et languor amoris. 119

LIBER V

De Contemplatione Cherubicâ, ipsiusque praxi.

Cap. I. Quid sit Contemplatio Cherubica? Et quid addat Fidei, et Theologiae Scholasticae?. 123
Cap. II. Quid agat, et quid patiatur anima, quando incipit Contemplatio? Et quid tunc a Dei recipiat?. 125
Cap. III. Praxis contemplationis SS. Trinitatis 127
Cap. IV. Praxis contemplationis de Mysterio Incarnationis. 130
Cap. V. Praxis contemplationis de Mysterio Eucharistiae. 134
Cap. VI. Praxis contemplationis attributorum Dei. . . 137
Cap. VII. Praxis contemplationis Symbolicae. 138
Cap. VIII. Praxis contemplationis, quae habetur in esse substantiali, animae magis arcano 140
Cap. IX. De locutionibus internis 142
Cap. X. De locutionibus sensitivis internis 144
Cap. XI. Sensa animae in hujusmodi locutionibus internis 146
Cap. XII. Praxis Orationis silentii, et quietis. 147
Cap. XIII. Exemplum materiale istam explicans Orationem. 149

LIBER VI

De contemplatione Seraphica

Cap. I.	Quomodo contemplatio Seraphica sit perfectio voluntatis	153
Cap. II.	Praxis igneae contemplationis	155
Cap. III.	Praxis flammeae contemplationis	157
Cap. IV.	Praxis conformativae, et resignativae contemplationis	159
Cap. V.	Praxis de nuditate contemplativa	161
Cap. VI.	De solitudine affectiva, qua interdum afficiuntur contemplativi	163
Cap. VII.	Soliloquia animae, quando suum Dilectum invenit.	164
Cap. VIII.	Praxis contemplationis, quae Nebula dicitur spiritualis	166
Cap. IX.	Praxis Libertatis Spiritus	168
Cap. X.	Quod contemplativi corporalibus indigeant interdum recreationibus.	170
Cap. XI.	Praxis contemplationis obscurae	171
Cap. XII.	De amore Vulnerante, plagaque amoris	173
Cap. XIII.	De unione illapsus, et quomodo non repugnet, Deum producere in nobis actus vitales.	175
Cap. XIV.	De Contemplatione passiva.	178
Cap. XV.	De Mystica Transformatione	179
Cap. XVI.	Aphorismi circa Contemplationem, et Contemplativos.	182
Cap. XVII.	Arcana, quae pertinent ad Contemplationem	184

LIBER VII

De Naturâ, et Gratia.

Cap. I.	Quomodo Natura humana per peccatum Originale corrupta fuit?	191
Cap. II.	Quomodo per Gratiam intellectus et voluntas curantur?	193

Cap. III. Quomodo electio divina sit radix omnium gratiarum actualium?. 195
Cap. IV. Quomodo Gratia, et Natura sint pater, et mater actualium meritorum? 197
Cap. V. Quid sit gratia? Et quomodo dividatur? Et in quo consistat ejus efficacia?. 199
Cap. VI. In quo consistat gratia actualis, et quot modis haberi queat? 201
Cap. VII. Quomodo non omnes piae cogitationes, et sancta desideria, sint gratia? 203
Cap. VIII. Quomodo cum gratia actuali fiat cooperatio?. 204
Cap. IX. Quomodo gratia elevet naturam? 206
Cap. X. Quomodo gratia perficiat naturam, sed non eam tollat? 207
Cap. XI. De gratia primae, et secundae Vocationis . . 209
Cap. XII. De aliis gratiis, quae gratiam Vocationis sequuntur 212
Cap. XIII. De gratiis extraordinariis, et miraculosis. . . 213
Cap. XIV. Quomodo quis gratia, qua donatus est, contentus esse debeat?. 215

LIBER VIII

De Magisterio spirituali

Cap. I. Quam multum intersit Magister spiritualis; et de ratione conscientiae. 219
Cap. II. In quo consistat spirituale Magisterium, et donum discretionis spirituum? 221
Cap. III. Dotes naturales, et supernaturales, quibus praeditus esse oportet congruus Magister spiritûs. 223
Cap. IV. Admonitiones Magistro spiritûs congruentes . 225
Cap. V. In quo consistit capacitas naturalis, et supernaturalis in ordine ad perfectionem? . . . 228
Cap. VI. De temperamentis naturalibus corporis . . . 230
Cap. VII. Quomodo incipientes sint juvandi?. 233
Cap. VIII. Quomodo adjuvandi proficientes? 235
Cap. IX. Quomodo sint juvandi perfecti?. 237
Cap. X. De Septem vitiis Capitalibus, quae in viris spiritualibus, Orationi addictis, reperiuntur . . 238

Cap. XI. De aliis vitiis, quae inter spirituales reperiuntur 240
Cap. XII. Aphorismi pro Magistris spiritualibus. . . . 243

LIBER IX

Examen Spiritûs.

Cap. I. Quid sit Spiritus ? Et de quatuor principalibus Spiritibus 245
Cap. II. Varia spirituum, qui boni sunt, et mali, genera. 248
Cap. III. Varii spiritus vitiosi 249
Cap. IV. Varia genera spirituum perfectorum 251
Cap. V. Varia spirituum imperfectorum genera . . . 254
Cap. VI. Spiritus Illuminatorum, et Illusorum. . . . 257
Cap. VII. Quomodo spiritus plerumque indoli sese accommodet? 260
Cap. VIII. Quod remedium adhiberi queat spiritibus vitiatis ? 261
Cap. IX. Quid sir Illusio ? Et quosnam effectus causet? 264
Cap. X. Praxis de aliquibus illusionibus in particulari 266
Cap. XI. Praxis de variis spiritibus, bonis et malis . . 267
Cap. XII. Aphorismi pro agnoscendis Spiritibus tectis . 271
Cap. XIII. Magisterii spiritualis arcana 273

LIBER X

De Revelationibus et Raptibus.

Cap. I. Quid sit Visio, et Revelatio ; et quomodo dividantur. 279
Cap. II. Monita pro Patre Spirituali circa Revelationes. 281
Cap. III. De Revelationibus divinis, et ipsarum effectibus. 283
Cap. IV. Revelationes pravae, quae sunt daemonis illusiones 284
Cap. V. Revelationes phantasticae, quae sunt illusiones naturales 286

Cap. VI. Quomodo discernantur revelationes bonae, ac pravae 287
Cap. VII. De Raptu, Ecstasi, Deliquio, Suspensione, et modo quo causantur 289
Cap. VIII. De Raptibus falsis, ac veris 291
Cap. IX. De effectibus, quos Raptus divini causant . . 293
Cap. X. Arcana circa Ecstases, et Raptus. 294

LIBER XI

De Regimine Religioso.

Cap. I. Quid sit Regimen Religiosum. 299
Cap. II. Ut bonus Superior debeat esse similis Mari . . 301
Cap. III. Jussio, et executio fiant, oportet, per distinctas personas 303
Cap. IV. De difficultate magna, quae reperitur in bona executione. 305
Cap. V. Media idonea pro bona executione 307
Cap. VI. De discrimine quod intercedit inter Praelatum prudentem, et imprudentem. 309
Cap. VII. Ut Christus Dominus N. fuerit prototypus omnis boni Gubernatoris. 310
Cap. VIII. Quomodo unusquisque Religionem gubernet ad normam suae inclinationis 312
Cap. IX. Quodcumque malum regimen, in varias distributum classes. 313
Cap. X. Classae variae regiminis boni. 317
Cap. XI. Quomodo perdi possit Familia quaedam Religiosa. 320
Cap. XII. Impedimenta, quae faciunt, ne Religio augescat. 322
Cap. XIII. Aphorismi ad regimen Religiosum. 324
Cap. XIV. Arcana regiminis Religiosi. 326
Cap. XV. Arcana justitiæ Religiosæ 331

Appendix. Notulae quaedam 337

Index opusculi 341

AD MAJOREM DEI GLORIAM

Imprimerie E. Aubin. — Ligugé (Vienne).

3541

247.02
G545

AUTHOR GODINEZ ,S.J. MICHAEL

TITLE Praxis Theologiae Mysticae

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
		FEB 4

3541